1566

6

PRACTICA AVREA,

COMMVNES LOCOS NONNVLLOS COMPLECTENS,

DIVINI VERBI CONCIONATORIBVS,

ECCLESIARVMQVE PRAEPOSITIS per quam vtilis, & necessaria,

EDITA A D. TVLLIO CRISTOLDO Reatino, viro in primis eruditissimo, nec minus pio.

CVM PRIVILEGIO.

Beatus vir, cuius est Dominus spes eius, &



nō respexit in vanitates, & insanias falsas.

VENETIIS.

In vico Sanctæ Mariæ Formosæ, Ad signum Spei. 1566.

AMPLISSIMO, OMNIBVSQVE VIRTVTIBVS ORNATISSIMO

M. ANTONIO AMVLEO,

S. R. E. Cardinali, & Capuccinorum Viceprotectori vigilantiſsimo.

SI SVNT, qui animum habeant in alios nulla maleuolentia affectũ; ſed admiranda benignitate ſuffultũ: nemo tamen mortaliũ (pace eorũ dixerim) maius modeſtiæ ſpecimẽ prębet, quàm Tullius Criſpoldus. Qui, cũ ſit vir & ſanctitate vitæ, & diuinarũ literarum exercitatione præſtantiſsimus; ſe nihilominus inferiorem omnibus iu-

dicat: tantum abest, vt equalem, nedũ superiorẽ se faciat. Qua de causa haud potuit hactenus vnquam flecti, vt ali/quot sacræ Theologiæ communes locos, sui acris ingenij maturos fœtus, & Christi præconibus Ecclesiarũq; præpositis per quàm vtiles & necessarij: typicis calcographorũ notis cõmitteret. Cũ autem se tuo patrocinio præmuniri persenserit; & sui monimenta laboris mirum in modum cõmẽdari; subscripsit iudicio amicorũ, huiusmodi rem obnixè flagitantiũ: permisitq; mihi, operã darẽ, vt in cõmunem stu/diosorum Christi fidelium vtilitatem exeant. hac tamen lege, vt tuæ amplitudini hoc opus censeam dedicandum: quoniam doctos amas, religionẽ christianam tueris: cum sis ipse religiosissimus, & auctorem ipsum, vrbis Reatinæ; cui vigilantissime præes; benemeritum

ritũ ciuem, benignissime foueas. Ego verò, qui cũ bonis omnibus, Tuã Amplitudinẽ veneror: eiusq; iussu: in obsequium huius suæ inclytæ patriæ, duos ferè annos, concionibus, & Paulinis lectionibus, totò animò, totisq; viribus incũbo; opus hoc, tibi, mea impressum industria: taliq; insignitum titulo, hilarius mitto: testãs quoquo modo possum, meam erga te, & præclarissimam Amuleam domum, fidem, atque obseruantiam. Siquidem sub eius tutela, ac singulari præsidio, innumeri doctissimi viri; & omnium laudatarum artiũ peritissimi degunt. Tuæ igitur humanitatis fuerit, quã in omnes effundis: hilari vultu, à deuotissimo fratre Hieronymo, & Domino Tullio, tuis clientibus, tuiq; amantissimis, suscipere oblatum munusculum, & nostrum in te deditissimum animũ in primis me-

tiri. Meminisseque Plinianum illud, Dijs lacte rusticos, multasq; gẽtes supplicare: nec vlli fuisse vitio, Deos colere quoquo modo posset. quæ tibi accepta vbi perspexerit Tullius noster; spero, quòd, si minus spõte, tuis tamen coactus iussionibus adducetur, vt quæ in nouum testamentum exactissime annotauit, quæ aduersus Hæbreos, quæ in huius ætatis hæreticos, doctissime, & acutissime conscripsit; & disertissimas conciones, frugiferosq; Dialogos, incredibili ac diuina quadam tum eruditione, tum pietate refertissimos, alijs communicet, maximum siquidem Christiana Respublica ex his fructum percipiet. Faueãt igitur cũcti Christi præcones tuis immensis virtutibus, orentq; Dominũ, vt diu fœlicissime valeat amplitudo tua: quæ ipsis etiam inuidis suffragãtibus,

quauis maxima & suprema dignitate ab ipsis ferè, vt ita dixerim, incunabilis se dignissimũ præbuit. Et propediem alia his longe maiora, & vberiora, optimi, integerrimiq; Tullij opera expectabit. Venetijs X V. Februa. M D L X V I.

Tuæ benignissimæ Amplitudinis

Fidelissimus seruulus,

F. Hieronymus Denamis, Calaber, Capuccinus.

INDEX CAPITVLORVM, quæ in hoc opere continentur.

1 De sanctissima Trinitate. folio 1
2 De Christo. 3
3 De Angelis. 6
4 De Prædestinatione. 10
5 De Gratia Dei. 14
6 De Libero arbitrio. 19
7 De Peccato originali. 22
8 De Iustificatione hominis. 25
9 De Fide,& Operibus. 30
10 De Lege, & Euangelio. 46
11 De Ecclesia,& eius potestate. 55
12 De Prælatis tam spiritualibus,quàm secularibus,& eorum potestate. 64
13 De subditis,& obedientia. 71
14 De præceptis Prælatorum tam spiritualium, quàm secularium. 75
15 De ceremonijs. 79
16 De cultu Dei interiore,& exteriore. 82
17 De propria cuiusq; vocatione. 89
10 De Sacris literis. 93
19 De educatione filiorum. 96
20 De Sacramentis,& vsu eorum. 99
21 De Oratione. 114
22 De Eleemosyna. 128
23 De Ieiunio. 157
24 De nuncupatione Votorum. 167

DE TRINITATE.

CAPITVLVM PRIMVM.

VT SCILICET de Deo tractetur, non per subtilitates, quæ in scholis tractandæ sunt magisquàm in populo, sed per attributa ad practicam. Verbi gratia. Patri tribuitur potestas: ut scilicet, et nos inspiciamus quonā maxime modo ipse sua potestate vtatur, ut usus sit ad creandum, & ad benefaciendum; utq; per eam reprimat malos: bonos autem præmio afficiat, & eos, qui uelint boni fieri, attollat, non exterreat sed subtrahat illis impedimenta, atq; ita & nos quicquid possumus ad eam regulam dirigere debemus & erubescere cum aliter facimus: ut qui sic feris & diabolo similes simus & aduersi Deo. Ad hæc, quoniam Deus omnipotens sit, debere nos nullius potestatis esse putare, atque ideo ex ipso petere nobis potestatem ad bene agendum, utq; nobis uires omnes ad malum auferantur, & quancunq; potestatem habemus ex Deo nobis esse, agnoscere.

Sic de filio Dei, cum illi tribuatur Sapientia, uideamus ad quid ea sit usus, cum per eam Deus orbem condiderit; per eam Reges regant, et prudentes consilia decernant: & quomodo etiā stultificari quodam modo uoluit, ut pluribus prodesset, in quibus sumus & nos: & quod similiter nos non ad illudendū alijs,

ſed ad alios iuuandos, uti debemus ſapientia, ac putare nos eſſe inſipientes abſque hac ſapientia, & ridiculos eſſe etiam doctiſſimos: & quòd eſt quædã terrena, animalis, diabolica ſapientia: à qua nos maxime oportet abeſſe: & petere hanc diuinam ut nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret: & quòd ſuauiſs eſt ſconuerſatio eius: & quòd expoſita nobis eſt, ut quæ delitias ſuas dicat nobiſcum eſſe: quicquid ergo ſapimus, illi acceptũ feramus, ne nos ſcientia inflet.

Similiter de ſpiritu ſancto, cui bonitas tribuitur, ut bonitate utamur ad id, ad quòd ipſe utitur: nempe ad docendum, iuuandum, & ſubleuandum alios, idq; etiam corripiendo inquietos, conſolando puſillanimes, & putemus nos malos; quandoquidem uera bonitas in Deo ſit: ſed tamen et nobis paratam, quia pater noſter ad hoc bonus eſt, ut nos bonos faciat, nobisq; bona tribuat, ut habeat quibus cum delicietur. Itaq; petendum nobis eſſe hunc ſpiritum bonum, etiã per importunitatem, quia qui non habet hunc ſpiritum, non eſt Dei: quiſq;, inquam, petat pro uocatione ſua, ne irrumpat in alienam: & quicquid habet boni Deo referat acceptũ, ne aduerſus aliquẽ glorietur.

Deus ergo noſter poteſt, ſapit, & uult benefacere. omnia ergo quæcunq; facit, bona & iuſta ſunt, et nemo poteſt illi dicere: cur ita facis? et nemo debet conqueri, quia omnia bene agit: nam ipſe eſt bonitas ipſa, et iuſtitia ipſa; et ad hanc fidẽ oẽs exerceri debemus, ne unquam, ut ingrati & ſtulti murmuremus, ſed potius poteſtatem, & ſapientiam, & bonitatem

diuinam nobis impartiri, et petamus, et quæramus, & pulsemus quibuscunq; bonis operibus possumus, cum oratione perpetua.

Sicq; omnia quæcunq; de Deo dicuntur: omnia inquá ad practicam et ad mores ducantur, cú reprehensione corũ, qui contraria agũt: et cú exhortatione ad imitandum Deũ, & ad petendá gratiá eius, qui nos, nõ ut irrideat ad suá imitationem, inuitat, sed ut suis donis honestet, uiribusq;, et alacritate ad bene agendum, et ad præmia post labores referenda. Omnem .n. quærit occasionem, quo, cám habere uideatur nos suis muneribus hic, et in futuro afficiendi. Nos ergo petamus dari nobis potestatẽ, sapientiá, et uoluntatem benefaciẽdi, et ut impediamur à faciendo malũ; Nam si carnis nostræ potestate, sapiẽtia, et bonitate uti uoluerimus, non nisi inimici Dei erimus, ad Ro.8. bona ergo cuncta Deo accepta referenda sunt; mala uero nobis, qui mali sumus Gen.8. Matt.7. Luc.11.

Et quidem de Deo ipso, quo timore & reuerentia, qua fide, spe, fiducia, charitate nobis colendus sit, cum de uitijs aut uirtutibus: cum de præceptis ipsius: cum de cerimonijs: breuiter cum de qua uis re tractatur, inculcandum est, ut omnia ad religionem referantur. Verbi gratia: cum reprehẽdimus hominem, qui uoluptates, diuitias, potentiá, et alia cõtra propriam uocationem sectatur; ostendendũ est ipsum ita facere, ac si sibi non sit metuendus, & respectandus Deus: ac si ex illo nihil speret: ac si non illum, sed seipsum colat: quasi ille non sit iudex futurus,

a quo & præmia et pœnas et misericordiam spectet, & quòd in contrarium debet tendere, et Deum ante oculos sibi præponere: ut nihil agat, quod non putet Deo placere: ut sic ex fide uiuat, & nihil prorsus agat quod non agat in gloriam Dei & in nomine Iesu Christi, primæ Cor. 10. ad Coloss. 3. et quod propterea quilibet studiosus esse debet eorum quæ Dei sunt: & libenter doceri: & prædicationes audire, et curare ut boni prædicatores habeantur, ne crassa ignorantia in uitandis prædicationibus, & alijs quæ ad doctrinam sanam spectant, sibi ipsis imponant & dent pœnas non modo quod Deo non seruierunt, sed quòd etiam ignorare uoluerunt, quid ex ipsis poscerет Deus.

Per nomina item ipsius facienda est practica ad mores, ut quòd Creator, quòd Pater, quòd Pastor, quòd Sponsus, quod amicus, quòd agricola, quod Dominus, quod Pater-familias, quòd Iudex, quod Aduocatus, quòd testis, quod misericors, quod ultor, quod præsens, quòd absens, quòd omnia in omnibus; ut cogitemus eum nobis propitium, hostibus nostris terribilem, sed hostes nostros agnoscamus, peccata, diabolum, mundum, & carnem, ut fugiamus ab illis & Deo adhæreamus. Sed quoniam omnibus in locis de Deo agendum est, illud est memoriæ semper habendú, atq; inculcandum, ut gratiam illi maximam & perpetuam habeamus, quòd dignatus sit nos respicere, & tanti facere, ut lege & iudicio suo nos dignos ducat, & sibi tantum redimendos ne

unquam

unquam nos ipsos uiles putaremus, sed a terra in cœlum prospiceremus, ibiq; nos cũ ipso futuros certissime speraremus, atq; etiam consideremus ut iam sibi non ut serui, sed multo magis ut filij & hæredes seruiremus.

Accurate quoq; admonendi sunt homines, ut Deũ sub Trinitatis nomine, & distinctione personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti colant: utq; particulares et specificas ecclesiæ orationes et festos dies considerent & recolant, ne sint, ut multi, qui nihil a paganis differre uolunt; sed satis superq; dicunt, sese habere, si Deum colant, sit quisquis sit, & egerit quicquid uelit, nam talis cultus non agnoscit opera Dei, neq; magnificit reuelationes Dei: Itaq; & si sit excusatus in his, qui de Deo & sacris non audiuerunt, in christianis autem qui per ætatem audire potuerunt, & qui signo crucis utuntur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, talis cultus non est excusatus, sed infidelitatis potest nos arguere: ac fingamus quòd etiã in christianis esset excusatus, nos tamen nõ debemus quærere, quomodo simus excusati a bene agendo, sed quomodo magis probati simus bene faciendo, præsertim cũ simus filij noui testamenti: & omnibus in locis testari debeamus, aut agnoscere, quæ reuelata sunt temporibus nostris, & in his Deum colere, ne si in antiquis tantum simus, pro infidelibus apud Deum reputemur, & ingrati spernere diuina cõsilia et reuelationes uideamur, præsertim quibus detegit suam erga nos bonitatẽ: non enim

fecit taliter omni nationi, et iudicia sua nō manifestauit eis: aut certe si illis manifestauit, tamen quia testificari noluerunt, amiserunt, et cæci facti sunt.

DE CHRISTO.

CAPVT II.

PROPONENDA *est diuinitas, et humanitas Christi: et quòd cum esset in forma Dei, uoluit ꝑpter nos homo fieri, ad Phi. 2. ut salus, & conuersio nostra non modo tuta, sed etiam honorabilis, & gloriæ plena, esset; et uideretur, ut nobis absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem, &c. ad Gala. 6:*

Et quòd Dominus uenit, ut ipse uapularet pro peccatis nostris; et ita nos ad gratiam reciperemur, ut tanto redempti pretio, nunquam peccatis nostris deterreremur à petenda gratia, et misericordia Dei nostri, ut animaremur ad peccata relinquenda: ad redeundum ad Deum: ut erubesceremus de cetero amplius peccare: ut peccatum plusquā mortē ipsam formidaremus: ut timeremus, ne iniuria afficiamus nostrum redemptorē, ne grauioribus pœnis obligemur.

Item uenisse ipsum, ut quēadmodum ipse fecit, & nos faceremus: ut sequamur uestigia sua: ut qui non erubescēdum præceptorē, et præcursorē uiæ habeamus: ut gloriemur cum ꝑ salute fratrū, et nos ēt grauia sustinemus: ut libenter et nos aīas ꝑ fratribus effundamus: ut simus idē qd' ipse est in hoc mūdo, Christum

ſtum induentes, et nos ipſos expoliantes; ipſum amãtes, et nos ipſos odio habentes, ita ut exẽplo ipſius ẽt inimicos diligamus: quia ipſe uenerit, nõ ut excuſatos faceret neglıgentes et imperfectos, ſed ut mundaret ſibi eccleſiã nõ habentẽ maculã aut rugam: ut faceret filios Dei imitatores Dei: ut ſicut Deus perfectus eſt, et ipſi, ꝓ ſuo modulo quiſq; in uocatiõe ſua perfectus ſit: aut certe cõtendat eſſe perfectus. et quòd ad hoc faciendũ (qd' noſtrarum uirium nõ eſt) ipſe nos armat gratia, et refectione ſua: docens, ut ad ipſum ꝓ refectione recurramus, et ut ſpiritum bonum ex Deo petamus: per quem hæc ipſa perfecte, et ut decet ſanctos, faciamus: idq; docet impetrari fide, & importuna fidei oratione: quia fidelibus nihil difficile ſit: qui & habent pacem animabus ſuis.

Atq; hic extollendum eſt hoc alterum beneficium Chriſti, quòd eſt maius quàm remiſſio peccatorum: et quòd neceſſario annectendum ſit remiſſioni pcõrum: quia Deus à nobis non ſolum pœnitentiam, ſed fructus etiã dignos pœnitẽtiæ exigat: idq; iure optimo. Cui. n. magis, aut tutius, aut honeſtius, aut maiore cũ ſpe ſeruire poſſumus, q̃ ipſi Deo creatori, et redẽptori, et corporis et animæ noſtræ? an non horribile eſt, et metuendum, & turpiſſimum ſeruire carni & ſanguini, mundo, et diabolo: Deo relicto, aut etiam contempto? Cui honeſtius et fructuoſius amorẽ noſtrum, fidẽ, et ſpem cõmendabimus quã Deo noſtro? Oſtendendum ergo eſt hominibus, quàm turpis, periculoſa, et perniciofa uita ſit eorum, qui Chriſtũ ſequi nolũt,

& quàm honesta, tuta, & fructuosissima uita sit eorum, qui Christum sequi uolunt, & quàm timere nõ debeant ab insultis aduersariorum, et quàm gloriari debeant cum Christo pati potius quam cum mundo triumphare.

Itaq; non esse petendum a domino, ut præcepta leuiora nobis tradat, omissis quæ adhuc dedit, utque excusatos nos habeat, hoc.n. non digne peteretur a tam diuite domino, & turpiter nos id peteremus, uocati in adoptionem filiorum Dei, si nolumus esse præstantiores quàm sint filij Adæ, sed petendũ nobis est a Deo nostro, ut illuminet nos, & fideles efficiat, ut donet nos spiritu sancto suo, ut simus in gloriam & laudem suam: & omnia opera nostra ostendant ipsum esse in nobis: & quòd iam simus noua creatura & appareat quòd iam pro nobis traditus sit filius suus, quod nobis & gratiam & spiritum bonum sit lucratus, quod resurrexit, quòd ad cœlum ascẽderit, quòd spiritumsanctũ miserit, quod preciosa nobis dona donauerit: quòd consortes nos fecerit diuinæ naturæ, quod consedere nos iam fecerit in cœlestibus: quòd cum ipso mortui mũdo sumus: et cum ipso surreximus Deo, in cœlum & ipsi conscendimus, unde, & nos fratribus nostris per ipsum Iesum, spiritum, quem ex ipso accepimus impartimur.

Ita docendi sunt homines in hanc spem ambulare: omnia negocia obire non aliter ac deceat eos qui ad spem et rem tãtam uocati sunt, qui sint hæredes Dei: cohæredes Christi, fratres, et mẽbra illius et palmites

eius: ex quibus Deus fructus exigat. et fructú facientes repurget, ut fructus plus afferant, non facientes autem, recidat, ut in ignem mittantur. Ioannis. 15.

Item docendum quòd ab hac uocatione, non excluduntur nubentes, mercatores, milites, agricolæ, artifices, sed omnes prorsus ad hoc uocari, quia omnes Dei sumus, & Deo non modo per creationem, sed per renouationem baptismi consecrati & addicti: ita ut cælibatus, & nuptiæ, mercatura, & militia, artes et magistratus, & omnia quæ ab hominibus tractantur, nihil aliud sint quàm exercitia christianorū: quibus ostendimus nos Dei esse: & non nostros: quibus non opprimatur uerbum Dei, si Deo seruimus, sed exerceatur: nam Deus in omnibus rebus, quas ipse creauit, qui creauit omnia, uult honorari & coli, ut cultus quidem Dei quidam publicus sit qui quadā ceremonia exerceatur, non modo ad Dei honorem; qui bonorum nostrorum non eget, sed ad aliorū ædificationem, & rememorationem, & uniuscuiusq; sit omnibus locis ac temporibus cultus interior & exterior, qui Deo tribuatur, ne quid unquam, ulla in re committamus quod arguere nos possit, in ea re de Deo eiusq; cultu nos non cogitasse: ad hoc.n. eduxit patres nostros ex Aegypto, ut esset Deus noster & non sequeremur cogitationes cordis nostri, et oculos per diuersa ſfornicantes, sed præcepta Dei nostri: & ad hoc redemit nos a peccatis in sanguine filij sui: ut sui et non nostri essemus, ut portemus et glorificemus Deum ipsum in corpore nostro. Nume. 15. primæ

Corin.6. omnibus ergo artibus, omnibus exercitijs Christus imitandus proponitur, ut omnibus rebus Deus colatur: atque ideo à fraudibus, rapinis, & alijs, quæ Deus abominatur, abhorrere nos oportet: quia omnes ad imitationem Dei *sicut filij carissimi uocati sumus.*

Præterea, non ommittenda est practica illa nominum Christi, & præcipue illorum, de quibus 1. Co*rin.*1.*dum dicit Apost.*Pau.*Christum factum nobis sapientiam, iustitiam, & redemptionem: ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in domino glorietur, scilicet si uolumus à Deo sapientiam, remissionem peccatorum, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem, non parum sapientes sumus, scientes talia* Dei *esse dona, ut dicitur* Sap.8.*Non gloriemur in nobis de hac sapiētia, sed in domino, qui* Christum *nobis dedit sapiētiam nostram: per quem hæc nouimus, et hæc agimus. Atq; ita si quis dicat: quæ dignitas nostra sit, ut speremus nos impetraturos ea, quæ petimus. Respondemus Christum esse iustitiam nostram. propter quem* Deus *faciat nos sapientes, & iustos, & sanctos, & redemptos, quia in nomine ipsius petimus. Itaq, dicimus* Deo: *fac nos sapientes sapientia tua: quia Christum fecisti sapientiam nostram, fac appareat ipsum esse sapientiam nostrā. Sic dicimus: fac nos iustos, quia Christus iustificauit se pro nobis, ut tu nos in ipso iustificares. Sic dicimus, sanctifica nos, quia Christus seipsum sanctificauit, ut tu nos sanctificares. Ioannis* 17. Sic dicimus

redime

redime nos, quia Christus redemptio nostra est, precium solutum est nostræ, magnum, & euidens; non est cur non redimamur. Ita per Christum dominum nostrum hæc, & alia his non contraria petimus: & ubi sapientiam, & iustitiam, & sanctificationem, et redemptionem adepti sumus, ita per ea operamur, non gloriamur in nobis, sed in domino, qui Christum nobis dedit, propter quem, et cum quo, omnia nobis donauit, ad Rom. 8. redemptionis

Rursus, cum sensui nostro, aut aliorum hominum, præsertim infidelium uideatur, quæ Christi sunt, esse stulta, et iniusta, et prophana, et serua, nos nihil moramur iudicium nostrum, aut aliorum, sed iudicio Dei stamus. 1. Cor. 4. Satis nobis est scire ea Christo probari, Christum ea tradere: & ita ipse nobis est sapiētia; et iustitia, et sanctificatio, et redēptio, et nusquā alibi. Itaq; stultam facimus humanam sapientiam; quin etiam & iustitiam, et sanctificationē, et redemptionem diuersam ab ea, quæ Christus est, pro immunditia & detrimento habemus, Esai. 64. ad Phil. 3. Cæteri autem, qui iudicio humano uiuunt, nos deridēt, et se ipsos perdunt; Nam dicentes se ipsos sapientes stulti facti sunt; sic dicentes sese iustos, & sanctos, et liberos, immundi sunt, et prophani, & uitiorum serui; quia Christum non tenent, sine quo omnis uirtus pro uitio est apud Deum: quatenus Christum repellit, & non agnoscit pro Deo, & Mediatore eius, & nostri.

De Angelis.

DE ANGELIS.

CAP. III.

DICENDVM *interdum est etiam de Angelis tam bonis, quàm malis, multis ex causis, sed etiam quia ob corruptos mores, & prauas hominum opiniones, metus est ne ut Gẽtiles faciebant aliqui malos Angelos uenerentur ne noceát, bonos autem ut iuuẽt. Multi quoque ut in sermone est, cum uidẽt sese precibus apud Deũ non impetrare, quæ cupiunt, aiunt, si Deus me non uult, Diabolus me expectat, & ita ad incantatores recurrunt, & ipsum* Diabolum *inuocant, quem si Deus sineret eis succurrere, populariter ad antiquam idolatriã recurreretur, tam sumus nostrarũ cupiditatum amantes, cessante præsertim prædicatione utilium & necessariarum rerum ad salutem, multis in locis.*

Nobis de Angelis malis denunciatum est, multum posse in filios diffidentiæ, hostesq; nostros implacabiles esse, cum quibus nullum sit nobis cõmertium, sed perpetua pugna, eosq; tam potentes esse, ut uiribus nostris superari non possint, sed opus esse ut armemur armatura Dei, nempe fide & uerbo Dei. Ephe.6. Matth.4. *quibus si resistimus, fugiũt a nobis.* Iaco.46. *humilitateq; nostra, uincuntur nõ audacia; non enim fiducia nostri, sed fiducia adiutoris* Dei *repelluntur, ergo cum humiliamur in nobis, et*

nos

nos tanquã oues in medio luporum agnoſcimus, Paſtor noſter pugnat pro nobis, & ipſius protectione proſternimus hoſtes noſtros, alioqui poſſunt nobis tenebras mentis offundere, et cogere audire, quæ dicunt, et transformare ſe in angelos lucis, unde errores & hæreſes pariunt in filios ſuperbiæ: Quoniã etiam cum aperte ſeſe oſtendunt qui ſunt, uel minantur, uel impedimenta bonis operibus parant, uel adulantur & ſeſe uictos fatentur: aut ob bonũ aliquod, noſtrum opus cum clamore exeunt, ut nos ad uanitatem gloriæ detrudant, et mille habẽt nocendi artes, et quandocunq; Deus permittit uincũt omnia.

Quare, opus eſt humiliemur Deo noſtro, a quo & intellectum, & diſcretionem ſpirituum, & bonam uiuẽdi uoluntatem impetremus, orantes ne intremus in tentationem. Matth.26. *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Matth.6. Itaq; Sancti eorum adulatione non mouentur, ſed in corde ſuo dant gloriam Deo: neq; tamen quia hoſtes ſunt, propterea fit ut nobis interdum, uel inuiti non proſint, alioqui in inferno deliteſcerent, ſed opera eorum Deus utitur ad noſtram utilitatem et gloriã ſuam.* Sic interdum tradimur Satanæ, *ut diſcamus non blaſphemare. primæ Timoth.1. ad interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus fiat.* 1. Corint.5.6. *Sic ad oſtendendam & perficiendam uirtutem Chriſti, cum in nobis eſt.* 2. Cor.12. *Vt etiam in ipſo Iob oſtenſum eſt, et Tobia et innumeris martiribus Chriſti.*

Cum ergo Satanas petit, ut liceat ſibi nos tẽtare,

quod

quòd semper facit, cum Deus nos commendat, Iob. 1. Lucæ 22. nos docti sumus dicere: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Aut si quando illũ audire uelit, nos prius armet Deus uirtute sua, ut non nos, sed uirtus Dei *noſtri tentetur in nobis: aut certe succurrat nobis oratio* Christi, *ne deficiat fides noſtra.* Lucæ 22.*qua, omnia tela nequissimi extinguamus, ad Eph.6. Neq; faciamus ut Petrus uisus est facere, qui audiens Christum dicentem: oraui pro te, dixit se* ~~*copunctum*~~ *esse ad oĩa: tanq; oratione* Christi *non indigeret. Nos casu eius admoniti, uelimus ex uirtute Dei uincere: ut gloria nõ noſtra sit, sed uirtutis Dei.2.* Cor.4. *Non nobis domine, non nobis sed nomini tuo da gloriã. Psal. 113. ut confundantur* Angeli *rebelles, cum uidẽt* Deum *humiles respicere, et superbos spernere.* Oremus *cum* Apoſt. *ad Ro.16. ut* Deus *cõterat Satanã ueterciter sub pedibus noſtris.*

At, *interdum bona et salutaria dicunt; dicũt quidẽ ut per ea se insinuẽt, errores aspergant, et superseminent zizania. Matt. 13. Bona uero, quæ dicunt cum facienda sunt, non quia ipsi dicunt, sed quia ueritas à quocunq; dicatur, à spũ sancto est: sunt facienda, et oĩa bona nobis debẽtur, qui boni patris sumus filij, et participes oĩum bonorũ eius. Quare, dominus Iesus eorum teſtimonia repudiauit, ac si diceret eis audiẽtibus: an uera sint, quæ dico, inspicite ab operibus meis et à diuina inspiratione, quæ uobis de me fit, et nõ à uerbis dæmonorũ, qui indigni sunt, qui teſtificentur de me, sic apoſtolus* Phithonẽ *à puella deiecit, quãuis ueritatẽ diceret.* Act.16.c.*ut nõ ex ore Satanæ, sed ex*

compunctum

operibus Dei *homines crederent ueritati, quā autem perniciosi sint his, qui spiritum sanctum eiecto Satana, non receperunt, dicat, Matt.* 12 *. Vbi spiritus malus reuerti dicitur cum septem alijs nequioribus.*

De *bonis quoq;* Angelis *dicendum est, quorū ministerio Deus ad nostram et totius orbis gubernationem benignissime utitur, nō ut qui opera eorum, aut ullius creaturæ indigeat, sed ut qui eos exerceat, & bonis operibus, quibus in gratiam ipsius gaudere facit, uelit esse intentos: præsertim in auxilium salutis nostræ, quos amant, et quorum salute numerus eorū suppletur: quare et sūt administratorij spūs in ministeriū missi, ꝑpter eos, qui hereditatē capiēt salutis* Heb. 1. *et ꝓ nobis orāt, et orōnes nr̄as offerūt* Deo, *Tob.* 12.

Sed et respōdendum est his, qui dicūt, Angelos *neq; ꝓ nobis orare, neq; orōnes nr̄as offerre* Deo, *neq; nobis ī aliquo ministrare: et si angeli nr̄i dicant. Matt.* 18. *id uero dicunt, quia cū Chr̄i humanitas īterpellet ꝓ nobis, superflua sit angelorū ꝓ nobis oratio; imò sibi angeli arrogātes uiderētur, si auderent orare ꝓ quibus Christus oret, nobisq; præcantibus ipsos, ut pro nobis orarent, dicerent: habetis intercessorem, cui non potest quicquam negari, cuique iniuria fieret, si adderentur nostræ orationes, tanquā ipse nō sufficiat.*

Sed hæc eorū ratio est, ac si Christus oīa fecerit, faciatq; ut creaturæ suæ ī ocio sint, et nihil agāt: quia ipse facit omnia, quæ ratio, si quid ualet, etiā nostras præces excludit; cum tñ dictum nobis sit ab ipsomet Chr̄o: oportet sēper orare: et nunq; deficere, et orate

ne intretis

ne intretis in tentationem, orate ut digni habeamini euadere omnia ista,&c. Et formulam etiam orationis nobis dedit. Matth.6.

Christus ergo facit omnia, non ut creaturæ suæ ocientur, sed ut ipsum imitentur, ut quod ipse facit etiam ipsæ creaturæ faciant; & hoc libentius quo ipsum socium habent, & sciunt, ipsarum laborem, inanem non futurum tanto comite, præsertim cum Christus pro nobis orans hoc ipsum orare uerisimile est, nempe ut exaudiantur preces nostræ, & eorum qui præcantur pro nobis.

Quòd autem Angeli *orationes nostras Deo non offerant, id eadem ratione dicunt, quia Deus præsens est orationibus nostris, neq; indiget, ut quis eas sibi offerat: ad quam rationem eadem est responsio. Nēpe Deum uelle* Angelos *suos otiosos non esse, sic enim & nobis mandatum est, ut uias nostras Domino reuelemus. Psal. 36. non ut ipse a nobis doceatur, sed ut nos ex ipso doceamur.* Ita *Angeli orationes nostras offerunt* Deo *cum fauore, pro nobis simul orantes Deiq; ipsius respōsionem expectantes, Christus enim est scala illa, quam uidit in somnijs* Iacob. *Gen. 28. in qua uidit* Angelos *ascendentes, & descendentes, ascendentes portantes preces & desideria nostra Deo, & nobis ab ipso Deo exauditiones et dona, sic Dominus dixit Ioan. 1. in fi.* Amen amen *dico uobis uidebitis Cælum apertū, et* Angelos *Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis.*

August. lib. 2. meditationum cap. 3. dicit, dicuntur enim

tur enim Angeli orationes & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant, quia omnia antequàm fiant, sicut & postquàm facta sunt, nouit. Sed quia Deus voluntatem super his consulunt, vt quòd Deo iubente completum esse cognouerint, hoc nobis euidenter, aut latenter reportent, &c.

Ad id etiam, quod dicunt, Angelos nobis non ministrare, aperta potest esse responsio, cum scripturæ contradicunt. Vnde & Augustinus eodem cap. 3. libro secundo Meditationum dicit; Ipsiq; Angeli in quibusdã scripturæ locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittantur. Vnde Apostolus ait: quoniã omnes administratorij spiritus sunt missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, neque id incredibile cuiq; videatur; quandoquidem & ipse Creator, & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & dare animã suam pro multis, & paulo infra dicit: [redacted] excelso igitur cælorum habitaculo ad consolandos, visitandos, & adiuuandos nos attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos, propter seipsos; propter Deum vtique, cuius tanta erga nos pietatis viscera ipsi quoque; vt dignũ est, imitantur: propter nos, in quibus nimirũ propriã similitudinẽ admirantur: propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio prestolantur. Et cap. xxv. Soliloquiorũ preclara multa ad hoc propositũ dicit, quàm magnũ beneficium sit erga nos Dei, quòd Angelis suis mandauit de nobis.

de

Prǫterea credere possumus Deum, qui suos Angelos nolit esse ociosos, sed salutis nostre fore ministros, velle nobis non nulla concedere eorum ministerio, ea vt celerius consequamur, aut ne spernere illa videantur: decens igitur est, vt ipsos oremus, vt pro nobis orent dari, quæ precibus eorum Deus dare nobis ordinauit.

At dicunt: Angeli id agunt etiam nobis nescientibus. Esto; nam postquàm hoc reuelatum est nobis, æquum et iustum est, vt eis obid gratias agamus, & vt libentius faciant oremus. Dicunt: id agunt non propter nos, sed propter Deum, & gloriam gratiæ ipsius, quem vident erga nos tam propensum: at nobis hoc carius est, quòd principaliter non propter nos, sed propter gloriam Dei nostri faciunt: nam nobis carior esse debet gloria Dei nostri, quàm vtilitas nostra, vt qui vtilitatē & salutē nostram prǫcipue pro gloria Dei, magisquàm pro nobis velle debeamus.

At, aiunt: fidetis in creaturis, & non in Deo: immo in Deo, qui creaturas suas uoluit nostrǫq; salutis esse ministras, quas scimus sine Deo nihil posse, & cum ipso omnia facere.

Angelorum ergo nos suffragijs vtentes gratificamur Deo nostro, qui de nobis illis mandauit; gratificamur Angelis ipsis qui gaudent nobis benefacere, & bona nobis impetrare ob Dei mandatum; & nos vtentes eis videntur agnoscere, & agnoscimus mandatum Dei ipsis iniunctū. erga nos, & illorum obedientiam, nostramque imbecillitatē & indigentiam.

Vt ergo

Vt ergo noſtras orationes offerant Deo, oremus, Deum digna, ne erubeſcant Angeli offerre non dignas noſtras orationes; aut ita offerant, vt reportent nobis a Domino correptionẽ, & caſtigationem. oremus & cum feruore, vt ſic Angeli gaudentes hilariter noſtras preces, offerant Deo: neque ſemper opus ſit, vt intercedant pro frigidis, ſed tandem aliquãdo gaudeãt feruore, quẽ nobis vel impetrarũt, vel oblatũ obtulerunt, nos accepiſſe eoq; vſos fuiſſe.

Agamus pęnitentiam peccatorum; quandoquidẽ pro ea gaudent. Agamus & fructus dignos pęnitentia; nam ob id pęnitentia noſtra gaudent; quia fructus pęnitentia dignos expectant, quibus fiat, vt in numerum ipſorum aſſumpti cum ipſis Deum glorificemus, Nã ſicut nos in canticis & pſalmis ipſos ad Deum laudãdum imitamus; ita ipſi nos inuitant; & eo magis quo vident quàm id iuſtum & bonum ſit. Et in hoc videmus non ocioſam, aut ſuperfluam rem eſſe: orare, vt agant quod agunt; nam ſic noſtrum conſenſum actionibus eorum adhibentes participes ſumus actionum eorum, ſcimus quòd laudant Deum, & tamen in ſacris litteris admonemur dicere: Laudate Deum omnes Angeli eius. Scimus quòd nobis etiã neſcientibus orant, bonum eſt vt tanquàm eorũ actioni conſentientes oremus eos, vt pro nobis orent, vt ſcilicet faciant quod faciunt nam & ſic Deo gratificamur, quòd humiliter de nobis ſentiẽtes etiam aliorum orationes nobis profuturas pro ipſius erga nos bonitate cogitamus.

inuitamus

DE PRAEDESTINATIONE.

CAP. IIII.

QVIA mentio prędestinationis multis magno scandalo est, sobrie est attingenda, & per conclusiones amicas potius, quàm per disputationem contentiosam.

Et primo dici potest, ignotum esse nobis consilium Dei: & inperuestigabiles esse vias eius: idque homines sentire oportere: ne se ipsos æquent Deo, idq; ostendi potest exemplo rudiũ hominum, quique non capiant consilia, & doctrinã sapientum, & quàm illis videantur stulta, quæ plena sunt veræ prudentię. Ad hęc agnoscendum esse nos multo minoris intelligentiæ, ad percipienda scilicet Dei consilia, quàm sit vilis vllus vermiculus ad inuestigãda consilia hominum, pręsertim sapientum.

Pręterea dici potest pro modulo nostro fortasse de prędestinatione id esse, quod in cæna illa Lucæ. 14. Dominus expreßit. Nempe omnes vocari ad Iustitiam & salutem; quia Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. primæ Timo. 2. idque ostendit dum vocat omnes ad se; culpa vero hominum fieri, vt aliqui nolint venire: diligentiaque non nullorum fieri, vt aliqui veniant: & cum

& cum omnes indigni essent vocatione: gratis esse vocatos: idque pluries; & adiutos vt venirent. Ad hęc esse quandam exuberantem gratiam Dei, quæ postremo etiam cogat nonnullos in Regnum suum: idq; non merito illorum; sed tantum quia velit impleri domum suam. Ad hęc vt plures veniant elegisse nonnullos qui reliquos vocarent, ibi est ergo cęna: & hęc est Regnum. Regnum Dei, ibi sunt nuncij vocantes, ibi sunt inuitati, in quibus alij excusant, vel excusari petunt, vel venire se nō posse dicunt, alij veniunt, & postremo sunt, & qui coguntur venire, vt domus impleatur: vt suprà sciamus certam esse prędestinationem, neque esse in cuiusquàm potestate. vt fiat nuncius ex officio inuitans, quia nemo potest seipsum Apostolum, aut Prophetam, aut Doctorē facere, sed Deus ipse facit quos vult. 1 Cor. 12. ad Eph. 4. Sed cum omnes simus inuitati ad Regnū omnes possumus venire: hęc est facultas omnium: & venientes nos quoque pręceptum habemus, vt reliquos ab Apostolis & prophetis, & pastoribus & doctoribus vocatos exhortemur ad veniendum, narrantes virtutem eius, qui nos vocauit 1. Petr. 2. quare qui non venit culpandus est: & seipsum perdit: qui venit gratias agit Deo qui ipsum vocauit: & qui ministros dedit, per quos sępius vocaretur: & socios quorum exemplo & exhortationibus pręueniretur.

Sed, ne quis expectare diceret se velle vt cogatur intrare, id dicit Dominus, non omni tempore, sed ad

extremum fieri; neque respectu nostri, sed vt domus impleatur. Itaque Matt. 24. dicit duo in lecto, vnus assumetur, alter relinquetur, vt scilicet diligẽtes simus & fideles in eo quod accepimus: vt non tempus amittamus: sed inueniamur parati, quia non omnes qui sunt foris cogentur intrare: sed multi excident per suam ipsorum negligentiam Matt. 24. & 25. Quare nemini benefacere volẽti, clausum est Regnũ cęlorum; neq; id vlla prędestinatione vlli clauditur; cum potius prędestinatione ipsa cunctis aperiatur; cum hoc statutum sit, vt omnes vocentur, & oẽs, qui veniunt admittantur, & nemini claudatur, quia Deus non vt irrideat vocat, sed vt benefaciat, & vt ex abundãti iustificet iudiciũ suum, ne aliqui dicãt: nemo nos conduxit, parati eramus venire, si vocati fuissemus. De pueris autem, qui ante rationis vsum decedunt Deo, qui creauit eos, iudicium relinquatur.

Vbi hac Domini parabola mitigati sunt homines & beneuoli facti ad audiendum, non hic relinquendi sunt, ne mercenarios eos facere voluisse nos videamur; sed arguendum est scandalum eorum, qui cum audiũt Deũ prędestinasse omnia, neque in cuiusquam potestate esse, vt saluus fiat, aut perdatur: quia Deus, quorum uelit misereatur, & quem velit indu ret, ad Rom. 9. Dicendum est, etiam si sic Deus faceret, ferendum nobis esse etiam cum gratiarũ actione: quia ipsius creaturæ sumus: & illi de nobis omnis potestas esse debet, atque ideo nos illum super omnia diligere; & illi toto corde seruire debemus:

 etiam

etiam si maxime certi essemus nos ab ipso procul dubio esse damnandos: Itaque omnes illos, qui dicant: quandoquidem Deus prędestinauit omnia, nolumus ei seruire: damnatos esse ipso iure, & se ipsos detegere nunquam boni quicquam egisse, quia nihil pro gloria Dei; sed pro sua tantum salute operatos se se fuisse ostendunt. Atque ideo deponendum esse hunc errorem, & hunc sui ipsius amorem: & colendum Deum: Illiq; maiore animo seruiendum ac liberalius, quandoquidem sic iam non poterit mercenarius cultus noster videri:

Ac eum esse omnium animum debere, vt citius velint stare prędestinationi diuinæ, quàm suæ ipsorũ diligentiæ, & hoc tum cognitione suæ fragilitatis, tum cognitione diuinæ erga nos bonitatis, tum quòd ita honoramus iudiciũ Dei, & vt debemus, quicquid egit, adoramus:

Præterea, etiam si creaturam quis interroget: salua ne, an damnata eße velit, respondere creatura deberet, se quidẽ saluam esse velle non tantũ propter seipsam; sed multo magis quia ita Deus eam velle præiusserit, quòd si tale præceptum non præcessisset, ipsam nihil aliud præeligere, quàm voluntatem creatoris sui, ne se ipsam pluris faciat, quàm voluntatẽ eius. quòd si voluntas Dei in neutram partem sit inclinatior, se quidem saluam esse velle vt habeat; quo gratior sit Deo suo, ipsumq; laudare amplius & honestius valeat:

Postremo, quamuis nemo sine speciali reuelatio-

ne scire possit se esse in numero prædestinatorum; atque ideo nemo ex fide id de se credere teneatur, tamen quia de conditionali prædestinatione, de qua supra dicebamus, nemo dubitare debet, se in ea esse, neque de certa prædestinatione quisquàm desperare debet, se in ea eße poße, inculcandū est omnes Christianos anniti debere credere, idq; quàm firmißime, se eße prædestinatos & filios Dei, ac propterea dicere Deo, ex præcepto filij Dei, Pater noster, item ex ordine totius ecclesiæ dicere: Credo in Deum. Et quod qui hoc nō credunt non excusantur ab aliquali infidelitate & negligētia; nam debilitas fidei in hoc procedit ex eo, quod non sumus perfecti in charitate, nam perfecta charitas foras mittit talem timorem, & dat fiduciam in die Domini, 1. Ioan. 4. Quo ergo studio querere debemus charitatem; quæ omnia credit, omnia sperat 1. Cor. 13. Eodem studio hanc certitudinem fidei querere debemus, qui bonis operibus certam nostram vocationem & electionem facere iubemur. 2. Pet. 1. Charitatem autem omni conatu querendam nobis esse ostendit, qui dixit primum & maximum mandatū esse de Deo diligēdo Matt. 22. Ad hoc præceptū, si nos ipsos quotidie, & ea diligentia, qua literas, aut pecunias, aut victum quærimus, quæreremus: certe velociter sentiremus nos esse prædestinatos, aut certe minus de nostra prædestinatione dubitaremus, cum diligentibus Deum sese Christus reuelet Ioan. 14. atq; ideo firmior spes nobis de salute esset, quæ quidem spes: si non nisi prædestinati

saluantur,

saluantur, nō nisi dubia esse potest ijs, qui de sua prædestinatione sunt dubij: Conantibus ergo nobis hanc fidē habere, etiā si adhuc aliquod dubij superesset, id nobis non imputaretur, quia spiritum pro viribus sequeremur ad Rom. 8. & quia esurientes & sitientes essemus iustitiæ: ac propterea in spe consequendæ saturitatis Matt. 5. versaremur. Non est autē quærēda nobis hęc fiducia & fidei certitudo quibusdam argutijs & ratiocinationibus tantum, sed orationibus spiritum bonum petentibus, eleemosinis, & alijs operibus bonis. 2. Pet. 1. Matt. 7. & 11. Lucæ. 11. Nam qui rationibus volet sese confirmare absq; quòd vitam à malo in bonum studeat statim conuertere: frustra laborat; Nam Deus deterret peccatores, & hoc speciali flagello vtitur, quo dicit; dānabo te, nisi vitam cito mutaueris: veniam hora, qua non speras: & abijciā te in tenebras exteriores. Quisquis ergo his minis Dei suis rationibus: & non vitæ mutatione & obedientia volet resistere: seque in fide confirmare, vult facere mendacem Deum: prætereà neque poterit animū suum confirmare, quia peccatum deterret a conspectu Dei: vt vides Adam & & Caim fugientes Gen. 3. & 4. ita qui resistit, bonæ conscientiæ naufragium facit circa fidem. 1. Tim. 1. ~~Dicit~~ tantum abest, vt confirmet sese in fide, sicut enim fides, si ei obediamus, fugat peccatum, quia nos vrget ad pęnitentiam, & ad orandam, & quærendam veniam per ea, quæ Deus ad id statuit; ita peccatum, si ei obediamus. Interdū etiam abijcit fidem

Dei, & adducit quandam carnis confidentiam quæ inimica est Deo, & à qua Deus nos deterret. Itaque veh illis, qui fide ad peccandum vtuntur. non enim in hoc vti possunt Dei fide, qua Deus purificat corda nostra. Act. 15. Seducũtur Satanæ fide quæ decipit & inquinat homines, & in interitum ducit. Vt Eua serpenti credidit & decepta est: sicut illi, qui contra minas Dei sibi ipsis bona promittebant Deut. 29. Ezec. 33. Matt. 3.

Non tamen dico, vt quisquam etiã in maximis peccatis desperet; sed dico ipsum non diu staturum in fide vera Dei, si resistat bonæ conscientiæ; sed decipiendum falsa atque inani fide, quæ non sit donum Dei, sed carnis nostræ: quia nos ipsos nimis diligimus. Quare concludendum Christianis omnibus mandatum, aut consultũ esse, vt conẽtur credere sese prædestinatos, idque conentur non fide carnis suæ, sed fide, quæ est donum Dei: & fructus spiritus Dei ad Eph. 2. ad Gala. 5. quia esse debemus noua creatura, & viuere ex donis Dei, non ex sensu carnis nostræ. Ad fidem hanc Dei faciendam & nutriendã omni ratione nobis conandum est, & præcipue in hoc valet inspectio Christi, & passionis eius; & quo amore nos auocet a peccatis ad gratiam Dei, vt erubescamus eum non sequi: vt inflamemur ad sequendum: vt in hoc omne suum auxilium expectemus: at nos habituros fidamus, vt ita vita nostra sit lætior spe certa salutis & exultatione in tribulationibus ipsis Matt. 9. ad Ro. 5: Iac. 1. prima. Pet. 1. & quia fideles assu-

les assumãt pẽnas, vt aquilæ, & nõ deficiãt. Esa. 40. & quia fides impetret omnia Mar 11. & quia omnia poßibilia sunt credenti Mar. 9. ita qui fidem habet non habeat ociosam, ne vt talentum, quod abscondenti ablatum est ei quoque auferatur Matt. 25. sed obediat ei, quia per eam, & gratiam & gloriam impetrabit, & videbit se esse filium Dei, testimonium reddente spiritu Dei spiritui suo, quòd sit filius Dei ad Rom. 8. Quòd si testimonium hoc non sentit, non credat id esse, quia nõ sit in numero prædestinatorũ; sed id esse putet, quia spiritus vbi vult spirat. Ioan. 3: & quia nondum ipse tam iustus est, vt hoc testimonio sit souendus: aut contra, tanta iustitia Dei polleat, vt dandus sit tentationi, ad hoc vt virtus Dei in ipso manifestetur: vt in Iob apparet; & hominis confidentia deponatur, totaq; in Deo reponatur. 2. Cor. 1. vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.

DE GRATIA DEI.

CAP. V.

OSTENDENDVM est quàm Deus sit gratiosus: & quòd etiam cũ irascitur, recordatur misericordiæ. Et quòd multos iam perdidit, vt nos timeamus, & a peccato recedamus, & salui efficiamur: Et quod etiam

cum gratiam nō confert, facit vt gratiam conferat, vt nos illam melius agnoſcamus, & artius retineamus. itaq; lege vtitur ad oſtendendum nobis peccatū, & flagello & erumnis peccatorū, vt victi uideamus, cui ſit melius ſeruire, peccato, an iuſtitiæ Dei?

Et quòd licet gratia gratis detur, & mereri a nobis non poßit, quòd tamen ipſe ſua ſponte hanc nobis gratiam facit, vt poßimus eam precibus impetrare. Itaq; peccatores, cum humiliter oramus, vt propitius ſit nobis peccatoribus: gratiam & veniam impetramus: & iuſtificati diſcedimus in domum noſtram. Lucæ 18. atq; ita & ad baptiſmum, & poſt baptiſmum ad pœnitentiæ ſacramētum admittimur, idq; cum fructu. Propterea nemo excuſatur, quòd poſt peccatum non reſurgat; quoniam aut poteſt ſic orare, vt diximus, & orare nolens, damnabilis eſt: aut non poteſt ſic orare, & ſua culpa id factum eſt, qui gratiam, quàm habebat, amiſit: neq; tamen ob id debet deſperare, & ſeipſum tradere impudicitiæ ad Eph. 5. ſed eſpectare miſericordiam Dei, ac putare tantisper ſibi eſſe clauſam, vt ſentiat malum, quod fecit, vt de Maria exemplū habes. Num. 12. & quòd fieri poßit, vt per orationes eccleſiæ, & amicorū ſuorum citius redeat; atq; ideo, & precibus, & eleemoſinis vrgeat; vt cito ad latitudinem gratiæ reuocetur, & reuertatur.

Euocandi etiam ſunt homines in diuinū amorē, et oſtendenda illa propēſitas Dei in recipiēdis ijs, qui uere & ex animo reuertūtur. Et quòd ipſe ſinit calamitates

tates nobis īcurrere, vt ab his ad ipsum recurramus, Lucæ 15. ibiq; de gaudio, quod fit pro peccatore pęnitentiam agente.

Ad hec; quoniam hoc nomen gratia, nonnullos offendit, qui nollent peccatorē tam facile recipi, nam sibi quasi preferri credunt, qui totius dici pondus & estus tulerunt, vt in vinea Matt. 20. & in filio maiore Lucæ 15. Respondendū est, ibi respondet Deus: & primo de potestate donantis: & quòd nemini iniuriam facit, cū aliquem gratiose donat. & quòd nostra nihili sunt Lucæ. 17. Atq; ideo & qui recte agunt gratia se usos credant: & gratia ad huc egere vt premium referant; quia nihil amplius fecerint, quàm quod debuerint sua sponte facere: & quòd gratis remißionem peccatorum habuerunt: & facultatem benefaciendi. Et quòd in eo quoq; Deus affuit operans in eis: & ideo gaudendum est pro fratre, qui perierat, & inuentus sit & imitandum esse angelos & patrem, qui gaudeant; & non afferendū tetricum vultum in tanta totius cælestis curiæ letitia.

Item animandi sunt homines ad bene agendum, quia post acceptum baptismum, & Euāgelij fidem, sumus in regno gratiæ, & possumus recte operari. Preterea seruimus Domino gratioso, qui nobis & operibus nostris non eget; sed ea omnia velit pro nostris ornatibus, et vt causā habere videatur nobis benefaciendi. Itaq; etiam minima & imperfecta: modo ipsum sub spe meliorum patrandi sequamur, maximi facit & errata condonat; & quæcunq; bona

sunt quæ ipse in nobis aut nobiscum operatur: aut facit nos operari, nobis donat: aucta quoque maioribus donis suis: si enim operibus nostris egeret, tātum tribueret, quantum ex operibus nostris sibi esset accommodatum, id quod minimi est: nunc autem nos vult & a nobis opera pro ornatu ac exercitio & animi purgatione, exigit, quò celerius nobis sese insinuet, & capaces sue dulcedinis faciat.

Item docendi sunt homines gratiam Dei esse omnibus obuiam & expositißimam. utq; proueniat ex Deo creatore nostro, qui sic dilexit homines, vt filium suum unigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat Ioan.3. Atq; ita prædicari in vniuerso orbe mandauit. Neq; nos turbare debet quòd multæ nationes huius gratiæ sensum nō perceperunt, sed id potius tanquā nobis lucrandæ relictæ sint, debet nos animare ad plus gratiæ semper petendum; vt per lumen gratiæ suæ in nobis, poßimus eā alijs gentibus manifestare: idq; vrgere omni ratione debemus, neq; refugienda sunt nobis præcepta & consilia Christi, sed arripienda; nam per ea illustratur nomen eius in gentibus: tunc enim gentes intelligerent esse vera, quæ de Christo prædicantur, cum nos viderent vt oues in medio luporum, nihil aliud quàm salutem animarum querere, & gloriam Dei. De nostris vero commodis, aut vita nihil eße sollicitos. & quo maiora pręcepta nobis Christus facit, hoc plus fiduciæ nobis præbet ad gratiā consequendā: quæ præcepta illa obeamus, & quæ per nos facere nō poßumus.

Neque

Neq; hic agendum est pro more nostro: nempe vt hominum inertium et contumaciū excusationem infirmitatis prætendamus & dicamus: Deus si vult nos facere, faciat, vt faciamus: interim desidebimus, quia sine ipso facere nihil valemus. Non est ita dicendum; Nam Deus, qui iudex noster est, qui sit quid nobis sit largitus, & quid valeamus, nouit quid dicamus vt Prou. 16. dicitur: erue eos, qui ducuntur ad mortem: & ne dicas, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit & cætera. reddetq; homini iuxta opera sua, non enim dixit Dominus sine me nihil potestis facere, vt desidamus; sed hoc dixit, ne ab ipso recedamus, nequid agamus cōtrarium his, quæ ipse mandauerit: quia sic nihil faciemus, nihil proderunt nostri labores, cū sumus absq; ipso. At vero si ipsa facere volumus quæ ipse præcepit, aut contulit, quia in verbo ipsius iactamus rete, recte omnia euenient & cū fructu. Sic neq; Apostulus 2. Cor. 3. dixit quòd ne cogitare quidem a nobis bonum possumus, nihil agamus; sed hoc dixit vt bene cogitata Deo accepta referamus, & prosequamur, quia Dei sunt dona: sicut ad Phil. 2. dixit cum timore & tremore vestram salutem operamini; quia Deus in nobis operatur & velle & perficere pro bona voluntate. Christiani ergo putare debent Deum sibi adesse, ac propterea non frustra laborare: non enim labor noster erit inanis in Domino 1. Cor. 15.

Quia itē nonnulli cū Paganis & Pelagianis sentiunt, & non putant Deum gratis iustificare, & gra

tiam tribuere, & vires ad bene agendum; sed legem tantum protulisse: docendi sunt hanc opinionem, ne incipiant gloriari & inflari aduersus alios, & Deum sibi ipsis debitorem constituere: ij putant cuiuscunq; quis sit Religionis aut Sectæ, si non cõtra conscientiã operetur, saluum fieri: & putant tales multos esse, qui naturæ iure recte viuant: sed falluntur. Itaq; docendi sunt quàm magno malo obnoxij omnes teneantur ob peccatum originis, & ob vulgi opiniones, & suos cuiusq; errores. Ad hæc, docendi item sunt quòd etiam si omnia bona facerẽt viribus naturę propriæ, & non ex gratia Dei, qua Christiani sumus, quòd nihilominus non essent plusquàm homines: atq; ideo ad consortium Dei non peruenirent. Quare opus est gratia, & dono Dei: quibus efficimur consortes diuinæ naturæ 2. Petr. 2. & filij Dei, similes Angelis Dei ad Rom. 8. Matt. 13. Ioan. 3.

Quia item sunt nonnulli, qui ne vellent quidem gratiam Dei dari, et dona talia; sed doceri tantũ uellent, quid agere debeamus: vt quilibet pro strenuitate propria coronetur, vel pro inertia aut perfidia puniatur. Sed ij docendi sunt, nobis non querendam esse gloriam nostram, sed Dei, si Christum, vt debemus, sequi volumus. Ioan. 5: vt videntes homines opera nostra bona glorificẽt non nos, sed Patrem nostrum, qui in cælis est Matt. 5. itaque in lege Christi exclusa est gloriatio. ad Rom. 3.

Docendi sunt item, quòd merita maiora non sunt pro maioribus laboribus, sed pro maiore gratia, &

acceptatione

acceptatione diuina. Itaque plus meruit Christi humanitas dormiens, quàm omnes laborantes: plus Virgo mater, quàm omnes alij, qui minore gratia essent insigniti. Quare ostendendum est iustitiam nostram comparatam iustitiæ gratiæ, esse stercus & detrimentũ ad Phil. 3. & vti pannos mestruatos fore omnes iustitias nostras. Es. 64.

Præterea vbi facillime absque gratia cęlum desideraremus: profecto & desperaremus; nam caro nostra, quæ strenua est pro voluptatibus & concupiscentijs suis: ad ea, quæ Dei sunt, vel obdormiscit, vel remurmurat: vel etiam frequentius reluctatur; vt retrahat nos in seruitutem peccati, & morti frutificet ad Rom. 7. & 8. Itaque docendi sunt homines, vt gratiam Dei ambiant, & omni studio quærant, ne, dum gloriã propriam quærunt, & suam iustitiam statuunt, foris inueniantur, & sæpe cum flagitijs maximis; quia quod altum est apud homines, abhominabile est apud Deum, Lucæ 16. & stultam fecit humanam sapientiam; & confundit potentes, & diuites dimittit inanes Luc. 2. 1. Cor. 2 1. Ne ergo quæramus ingredi nuptias absque veste nuptiali, Matt. 22. neque nostris armis aduersus non modo mundum carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates nequitiæ in cęlestibus, sed Dei nostri dona & armaturam eius sumamus, vt possimus stare, ad Ep. 6. & vt possimus digne Deo ambulare, qui elegit nos in gloriam gratiæ suæ, ad Eph. 1. Ex illo petenda sunt omnia. Vnde procedũt bona omnia

Iac.1.& dat abundanter,& nõ improperat. Et non ex nobis, qui præterquã quod mali sumus, sumus etiã infirmi adeo, vt etiam cum bona volumus perficere, tamen ea non possimus, sed gratia indigemus.

Docendi sunt item homines, si viderent in aliquo gratiam Dei, ne illam ei inuideant, sed ament potius, & putent in publicam vtilitatem datã, & ad suam quoque vtilitatem pertinere. 1. Cor. 12. optentq; vt ille, quisquis est, dispenset, vt latius pateat & lucretur; & ita ex lucro plura etiam assequatur talenta, & ex eo, quòd alteri collatam gratiam vident, sibiquoque de ea consequenda spem factam iudicent. Gratis enim data est, nempe, cum sit gratia ad Rom. 11. Vnus quisque potest eam sibi quoque conferendam sperare; præsertim cum & promissa sit petenti ab eo, qui etiam fugientibus eam obtulit, tàm est gratiosus, & sui prodigus, & qui non confundit sperantes in ipso, cum volunt gratiam, & vires pro vocatione ipsorum, & pro gloria Dei sui, non pro ambitione, & pro gloria carnis suæ.

Docendi sunt item, & qui gratiam Dei habent, aut habere sibi videntur, ne superbiant, ne dicant in abundantia; Non mouebor amplius, vt Psal. 29.

Neque gloriëtur aduersus aliquem; sed qui stat, videat, ne cadat. ad Rom. 11. & non sibi placeat, sed infirmitates aliorum ferat ad Rom. 15. & consoletur alios, considerans seipsum, ne & ipse tentetur ad Gal. 6. Et memmerint accepisse se in ædificationem ecclesiæ, & pro alijs, vt non auare dispensent, neque

redeuntibus inuideant, vt frater maior. Lucæ 15.

Sint ergo soliciti, ne à gratia excidant, vtque in dies magis Deo coniungantur: ad hoc enim his terroribus vtitur Deus; vt non discedamus a se; vt humiliter sentiamus, vt plus nobis misericordiæ tribuatur; quo fuerimus fructuosiores: vt ad eam vnionem perueniamus, vt dicere cum Apostolo possimus ad Rom. 8. Scimus quòd neque mors, neque vita &c. separare nos poterunt à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Et hæc mentio de gratia Dei ambienda, in omni prædicatione repetenda est, vt in finem subiiciatur. Sic hæc, quæ diximus, dilecti, nõ perficiemus nisi adiuti gratia Dei nostri. ipsum ergo oremus, qui dedit hæc dici, & audiri, vt gratiam Det ad perficiendum; itq; ita velut re impetrata nitamur ad ea perficienda, quisque in vocatione sua; Nam fidelis est Dominus, & quod cœpit, perficiet, primæ ad Thessal. 5. dicitur, non dabit tentationem absque euentu, vt possitis sustinere. 1. Cor. 10. expostulemus cum eo si derelicti nobis videbimur eiq; dicamus, Deus Deus noster, vt quid dereliquisti nos? nonne hoc opus tuũ est & gratiæ tuæ, & non nostrarũ virium? nonne tu pro tua bonitate, ne dicã lege, in nobis esse debes ad faciẽdum vt faciamus? Quare Domine fac, ne derelicti nobis nos turpiter sub onere decidamus: in manus tuas Domine, qui dereliquisti nos cõmendamus spiritũ nostrũ. Redemisti enim nos Deus veritatis: tui sumus, nõ nostri. De hac prace etiã infrà in tit. de Euãgelio.

Illud item admonēdi sunt, & qui sibi etiam perfecti vidētur, ne cuiusquàm monita contēnāt, sed pro gratia & prouidentia Dei expendant quæ dicuntur, vt vel discant ipsi, vel doceant monitores suos: Nam Deus tales interdum sic mittit, vt doceant eos, qui sibi maximi videbantur, atq; ita humiliores reddantur, aut vt ipsi admonitores doceantur ab his, quos admonent. Putent ergo ad mercatum sese positos, vt ex omni re lucrētur, quæ illis adijcitur, tanquàm à Domino missa.

Item quia Deus, quorū vult miseretur, & quos vult indurat, ad Rom. 9. & nemo potest dicere; cur ita facis? etiam si iustum damnaret, Sap. 12. nemo sibi confidat, quasi non poßit a Domino obdurari, & damnari, vt suprà dicebamus, neque, diffidat in Domino, qui cuius vult miseretur, vt scilicet dicat; potest mei quoque misereri, & vt spero, credo miserebitur usque in finem; quandoquidē iam cæpit misereri præbens hæc opera, quæ mihi videntur bona. Sic & quisquis in maximis sit delictis non desperet quin possit sui quoque Deus misereri; & nemo potest ei dicere: cur ita facis? & solet misereri; nam etiam & talium sæpe miseretur, sed vt dictum est, vix quisquàm in peccatis habere potest hanc fidem; præsertim diu. Et hoc etiam nomine damnandus est, quòd cum hanc fidem habere deberet de gratia & misericordia Dei, non habuit, quia per peccata naufragium fecit in fide; aut certe propter peccata, sentit deterrentem Deum: aut non amplius eum sentit,

quia

quia in profundum malorum delapsus contemnit; Prou.18. & exultat in rebus pessimis, Pro.2. amissa quoque Dei fide, hesit fidei carnis suæ; quam Satanas adiuuat; cum cōtra in timore Dei debuisset esse fiducia, Pro.14. quia beatus vir, qui timet Dominū. Psal.3. Ec.25. Adiungēda est fiducia timori. Ec.34. qui timet Dominum nil trepidabit, & non pauebit; quia ipse est spes eius, & declaratum iam est; quod Deus fidelium misereatur; quia fidem ad iustitiam imputat. Ecc.

Quæ opponuntur sub obtentu gratiæ ab iis, qui nolunt operari; vide in titulo de fide & operibus ad finem.

DE LIBERO ARBITRIO.

CAP. VI.

QVOD liberum arbitrum sit; quia alioqui quomodo Deus mundū iudicaret, ad Rom.2. sed docēdi sunt homines, quale fuerit ante Adæ peccatum; et quale postea factum sit per peccatum, & quam liberum sit per gratiam Christi; Ioan.8. ad Rom.7.

Rursus docendi sunt, quàm male nobiscum ageretur, si Deus nos arbitrio nostro relinqueret, & non ipse regeret nos & arbitriū nostrū, exemplo pa-

trum relinquentium paruulos, aut adolescentes filios arbitrio proprio: & quod peius etiam nobiscum ageretur; atque ideo videre bonitatem Dei nostri nobiscum, qui rursus quærat esse Rex noster, & Deus, & Pater noster: & vult ipse nos regere; quandoquidem nos permissi arbitrio nostro male nobis consulimus; & quòd propterea iusserit, vt quæramus Regnum Dei & iustitiam eius, vt sic quodam modo iustiorem causam habere videatur nos regendi, & gubernandi; & fidem à nobis exigit, qua nos ipsos totos cum toto arbitrio nostro, sibi committamus, & credamus: hoc ergo docendi sunt homines, vt libenter Deo id petenti credant & cõmittant arbitrium proprium, & captiuum redigant in obsequium Christi, vt serui fiant diuinæ iustitiæ, ad Rom. 6. Nam alioqui si nobis relinquimur, facile prolabemur, & in seruitiũ peccati redigemur, Ioan. 8. ad Rom. 6. Quare nõ erit amplius arbitrium liberum, sed peccati & diaboli seruus, neque libertatẽ vllam habebit aliam quàm ad malum, aut ad minimum bonum, nisi Christi gratia rursus liberetur. Agnoscant ergo homines hanc propriam fragilitatem & infirmitatem; & recedant a se ipsis, & Deo suo totos se concredant in hoc vtantur arbitrij libertate, vt seipsos Deo committant, nihilque sibi de seipsis reseruent, quod non commissum sit arbitrio Dei. Ita orabunt fideliter; adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra; durum hoc videtur carni & sanguini assuetis propriæ voluntati; sed non sumus de-

bitores

bitores carni, ex qua non nisi mors metitur, sed spiritui, vnde vita. Quare, quod nos vo[?]tis omnibus optare debemus, habere rectorem Deum; cum Deus ipse nobis offerat, vltro capiamus.

Sed quoniam; ne hoc quidem etiam dum maxime optandum vident, expediunt homines; docendi sunt, vt id saltem semper orent, ne vnquàm sibi placeāt, sed semper optent regi a Deo suo, ab ipsoque expetant, vt ipse nobiscum sic agat, vt nos peruincat, & faciat vt nos sibi totos & ex toto corde, vt est vtilissimum & prçclarissimum, cōmittamus; cui enim tutius, cui honestius, cui fructuosius nos ipsos credere possumus? An est alius, qui plus possit polleatq́; quàm Deus? est ne quisquàm sapientior; est ne quisquàm nostri amantior quā ipse est? est ne quisquàm qui maiora dilectionis erga nos signa ostenderit? est ne quisquàm ditior, qui egestatē nostram ditare melius possit, aut sanare infirmitatem, & peccatorum fœditatem eluere, & maioribus honestioribusque donis nos possit afficere? est ne quisquàm qui appetat nos regere, & non potius deglutire, aut perdere? est ne alius quisquàm, qui nulla sua vtilitate, sed nostra tantum velit laborem, pro nobis suscipere, nisi Deus ipse per se, & per seruos suos? quibus de nobis tam arcte mandauit, vt vitam etiam prodig[?]nt, velit pro nobis; sicut fecit filius suus Dominus noster.

Et in hac re liberi arbitrij; quia multi sibi ipsis relinqui volunt, atque ideo & proximorum, & prçlatorum correptiones, & consilia contemnunt,

dicuntque sibi datum esse a Domino liberum arbitrium: Neminem esse, qui eorum curam gerere debeat: Velle se ipsos pro arbitrio suo regere; quandoquidem ita omnibus donauerit Deus. Admonendi sunt quanto ipsorum id malo fieret; & quòd hac ipsorum contumacia amittunt correptiones multas; quas per aliorum ministerium Deus facit. Et quòd præpositi, id quod facturi erant cum gaudio, gementes agent, quod ipsis subditis vtile non est, vt dicitur ad Heb. 13. Docendi quoque Deum non eos voluisse libero arbitrio relinquere: ne seipsos nimis cito perderẽt; sed vnicuiq; mãdasse de proximo suo Ecc. 17: itaque prima ad Thess. 5. dicit Apost. Corripite inquietos; consolamini pusillanimes; patientes estote ad omnes, sic Matt. 18. & Lucæ. 17. correptio mandata est. Sic item & prælatos, & pastores & doctores dedit, quibus arbitrium nostrum regatur, ne male nobis ipsum cõsulat, sed assuescat benefacere; atq; ideo discat bene vti sua libertate; non est enim libertas; sed licẽtia & peccati seruitus, vti arbitrio absq; freno, quod Deus nobis parauit, ne pereamus. Nam si omnibus omnia licerent; nulla cuiquam esset libertas; sed omnia contentionum plenissima. Quare si volumus vere liberi esse, iustitiæ Dei seruiamus; ad Rom. 6. sic enim iusta obtinebimus, & in his libertatem exercebimus, quæ nobis vtilia sunt ad salutẽ: Cum ergo vel a proximis nostris etiam minoribus; aut à prælatis nobis correptio, aut consiliũ, aut mandatum defertur: accipiamus tanquam rem nobis pa-

vatũ à Deo nostro, qui talibus ministris vtitur, mandans vnicuiq; de proximo suo, neq; hic tamen mala præcipientibus, aut consulentibus parendum est. sed ostendendum est obedire opportere magis Deo quàm hominibus. Act. 4. & 5. quia cum præcipiant mala, non vt Dei ministri faciunt, sed vt homines. Itaque tunc nobis de illis mandatũ esse intelligamus, vt eos quomodo possumus, doceamus Deo esse parẽdum, & quòd nos parati sumus ad ea, quæ Dei sunt, si per ipsos nobis offerantur obedire, quia tunc eos, vt Dei dispensatores reciperemus.

Quia item nonnulli aliorum monita & præcepta contemnunt: quia in libertatem vocati sumus, vt non efficiamur serui hominum; & ita religionem prætendunt suæ contumaciæ. Admonẽdi sunt, non eam esse libertatem spiritus, ad quam nos Deus noster võcauit, sed carnis libertatem, à qua nos auocat. Itaq; dicit: omni petẽti te tribue, & angarianti pare, idq; magisquàm petat, vt tu scilicet non hominem veritus, sed vsus spiritus libertate vincas te ipsum, & expectationem etiam eius, qui te angariat. Libertas ergo Christianorum est, vt simus liberi à peccato, & seruiamus iustitiæ Dei; & proximis nostris in charitate, vt ex charitate nõ tantum ex præcepto pareamus, & tanquam serui Dei. Liberi ergo à superbia & ambitione sęculi huius nullo labore, & admonenti, & præcipienti, & angarianti obedimus: sit liberi ab amore voluptatum diuitiarũ, & propriæ voluntatis facile omnibus omnia tribuimus, facile om-

nes audimus, & ab omnibus discimus, et mutuo etiã docemus, idque magna libertate, vt qui non simus sub lege, sed operemur ex charitate, quæ omnia libenter facit, neque deficit, & quæ sic, præceptum est Christi, vt sit etiam donum ipsius. ipse enim eam nobis largitur per spiritum suum, ad Rom. 5. Prima Cor. 13.

Quis ergo vsus sit liberi arbitrij nostri docendi sunt homines, idq; aperte declarandum est esse in seruiẽdo iustitiæ Dei, in charitate proximorũ, ad Ro. 6. & 14. & 15. ad Gal. 5. Nam qui liberi non sunt facti per Christum, nõ poßunt proximis in charitate seruire, sed seipsos tantum attendunt, sua curantes, non quæ aliorum, neq; ea quæ Christi sunt, & quod contumacius est, prætendunt religionem, & libertatem Christi cum ea, quæ prætendunt non Christi, sed carnis, sit libertas, à qua Christus nos auocat, ad Gal. 5. primæ Petri. 2.

Sed dicent: Christus sub lege factus est, vt eos, qui sub lege erant redimeret, ad Gal. 4. quibus est ex aduerso respondẽdum, Christum redemisse nos quidẽ, vt non simus sub lege, sed ita liberi simus, vt nos etiam, sicut ipse fuit interdum sub lege simus; vt nos, & alios, qui sub lege sunt redimamus; nã quod Christus facit, & nos facere debemus; qui membra eius sumus, & cuius vestigia sequi debemus: Nos autem a lege redimimus cum sub lege versamur, vt videamus nostras infirmitates, & ad Deum recurramus; alios item redimimus, cum & nos cum eis, qui

sub lege sunt versamur. Et vrgemus eos nobiscum ad legis obseruationem, vt sic & ipsi iugum legis sentire incipiant; quod quia non attigerant, non agnoscebant: atque ideo & non intelligebant quàm vbique opus esset gratia Christi, & quòd non suis viribus starent. Exemplum habemus apertum in verbis Apostoli, primæ Cor. 9. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem, & factus sum Iudeis tanquam Iudeus, vt Iudeos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant lucrifacerem: ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmus infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos; ex his verbis quæ nostra sit libertas apparet. Nostrum ergo liberum arbitrium subijcere Deo debemus, vt tale euadat, vt omniũ seruus efficiatur, non quòd seruiat, sed quo omnes lucrifaciat Deo, cui seruire semper debet: nã in libertate vocati sumus; non vt in carnis occasionem eam demus, sed vt seruiamus inuicem in charitate, ad Gal. 5. & ne pro uelamine malitiæ habeamus libertatem, sed vt serui Dei omnibus pareamus, omnia feramus. 1. Pet. 2.

Quæ opponantur ab ijs, qui nihil agunt; quia per liberum arbitrium nihil nos dicũt agere absq; donis Dei, vide in tit. de Fide & Operibus.

DE PECCATO ORIGINALI.

CAP. VII.

DE PECCATO originali scrupulosa & parum intelligibilia populo ne inculcentur: satis sit ostendere amissam nobis esse patriam in patre nostro, qui commisit unde è Paradiso eijceretur; factus morti obnoxius absq; remedio. Nam in Paradiso arbor uitę fuit, qua immortalitas seruabatur; his difficultatibus fit, ut cum mors nos quotidie & omnibus momentis oppugnet, non sit nobis spatium ad cogitandum de nobis, aut de patria nostra. Ad hæc, cum diabolus, qui semel nos decepit, quotidie urgeat, ne nos amittat, cumq; magno commertio malorum utamur, factum est ut iustitia, ne dum Dei, sed humana quoque inaccessa iam sit: quãquam etiam si humana iustitia ornati essemus, nihil amplius haberemus, quàm quod aliquanto aptiores essemus, accipiendę iustitiæ Dei: quandocunque eam nobis Deus offerret; si tamen prius intelligeremus iustitiam nostram nihil esse, immo stercus, & detrimentum esse; si comparetur diuinæ, ad Phil. 3. & Es. 64. Propterea docendi sunt homines, ita male affectos hoc peccato esse, ut proni sint ad malum ab adolescentia sua Gen. 8. ad bonum au-

tem

tem ineptissimi, nisi gratia Dei aßumant pennas ut aquilæ Esa.40. & súmant Christi refectionem & iugum eius, quòd pacem præbet animabus nostris Matt.11.& quòd ad hoc uenit Christus, & fidem nobis fecit; & spiritum promisit, ut liberis a metu mortis, & ab operibus diaboli ad Heb.2. iam peccatum originale neque fructus eius, qui nobis inuitis proueniunt, non imputentur ad Ro.7.& 8. sed tantũ exerceant nos, seq; ipsos nobis hoc frequentiores ostẽdant, quo illos celerius exuamus, & Christum induamus: & quo frequentius oremus, & humiles sollicitiq; ambulemus cum Deo nostro, neq; ab ipso uel latum unguẽ discedamus. Itaque iam mors nobis non horrori, sed in uotis est, quandoquidem per eam transiit filius Dei præiens uiam nostram: certiq; si terrestris hæc domus nostra destruitur, quòd habemus non manufactam in cœlis. Cor.4. in fi.& 5.

Et quoniam multi sic peccatum originale accipiunt, ut putent excusata per illud omnia ipsorũ peccata; proinde docendi sunt non excusari, sed accusari magis: quia cum uiderent quàm periculosum hostem secum haberent, non implorarint gratiam Dei; non cum illo pugnauerint, sed se se uictos tradiderint, non modo non honorantes Christum Dei filium, qui ipsos ad pugnam uocabat, sed accusantes tãquam per illud uinci eos oportuerit, neque à Christo ullum auxilium sibi sperandum crediderint aduersus tale peccatum; præsertim cum in baptizatis non sit uere peccatum, sed fomes tantum: atque ideo debilius quiddam, quàm

ante fuerit.

Nonnulli haud credunt quæ Christiani dicunt de peccato originali, sed tales nos natura esse arbitrantur, & non quòd nascamur filij iræ; neque quòd renasci oporteat ex aqua & spiritu sancto. Itaq; nihil auxilij nobis afferri putant, sed tantum admoneri ut cum uiribus nostris resistamus peccato, hij sunt; ut qui carent lumine, & tantum quia parentum uitio lusciosi nati sunt, putant id non uitio sed natura factum. Quare utendum est persuasorijs, sed magis prece apud Deum, quo eos illuminet & allegatione scripturæ, si eã recipiunt ut ad Ro. 5. ad Eph. 2. ps. 50. nam quisquis hoc ignorat, allucinatur in multis: & q̄d præcipuum est, non intelligit sibi opus esse gloria & gratia Dei, & gratis iustificari ad Ro. 3. id quod prorsus hominem perdidit, & externum retinet a Regno Dei.

Nonnulli item sunt, qui nollent peccatum hoc & fomitem ipsum ne materialiter quidem nobis inesse, sed extinctum uellent prorsus: qui placandi sunt; quoniam ita placuerit Deo nostro, esse quidem solutũ precium, quo & auferri potuerit etiam fomes, & materia originalis peccati, & non reatus tantum; & futurum ut in resurrectione non resurgat stimulus talis, sed nunc placuit Deo ut ita sit, ut sentiẽtes subinde ex illo periculum, recordemur unde nos duxerit, quod maius est beneficium quàm eductos fuisse ex Aegipto, ita ut obscuretur illud beneficium præ isto Hier. 16. & 23. Vtq; ita solliciti ambulemus cum

Deo

Deo nostro, & semper augeri nobis fidem specie & charitatem, & omnia sancti spiritus dona. Oremus quominus fomes ille nobis sit molestus & minus nos urgeat, utq; si quid egerit: nō id nos egisse uideamur, sed ipsum quod habitat in carne nostra peccatum ad Ro. 7. ut minus minusq; uita hæc nobis placeat, sed semper finem eius læti præstolemur, nisi quatenus alio rum saluti seruiendum est, ut ad Phi. 1. utq; facilius uitam & omnia prodigamus cum datur occasio pro gloria Christi, ne occasionem amittamus, sed arripia mus ut per quam demus gloriam Deo, & nos à tam infesto & domestico tyranno in libertatem plenissimam asseramus.

Et quidem diligenter & caute attendendum est: nam aduerso flumine lensum trahimus, & terra no stra spinas & tribulos subinde generat, quo suffoce tur uerbum; & instat qui nobis dormientibus super seminet zizania, & circuit quærens quem deuoret, habens in carne nostra, à quo facilime ad nos deglutiendos recipiatur. lembum

Itaque admoneant omnes non esse cunctandum, non esse subsistendum; aut dicendum: sufficit; ultra non progredior, sed semper esurienda, & sitienda iustitia Dei est spiritu, sicut carne semper iniustitia appetitur, & nunquam ab ea fame & siti desistitur, quid quod nullus noster erga Deum conatus ad amā dum ad fidendum in ipsum, sed tepidissimi si non etiā & frigidissimi sumus ad ea, quæ Dei sunt, ut iam nō oppugnare nos, sed regnare in nobis peccatum uidea

tur; atque ideo, non iam solus fomes, sed in eo etiam reatus reaccensus uideatur. Oremus ergo semper, ne in damno, sed in exercitio, & lucro relictus nobis fomes appareat, ut simus in gloriam Dei & proximorum salutem, & non in aliorum scandalum, qui Christianos pares aliis in peccando dum uident, mentiri nos aiunt de gratia & auxilio Dei; quandoquidem in operibus & uita uostra nullum testimonium eius apparet, aut tam exiguum; ut quiduis potius quàm gratiam & auxilium Dei, id esse arbitrentur itaque & scandalizantur quasi nondum uenerit filius ei, nondum sit beneplaciti tempus, nec dum allatum sit pactum nouum, quòd promissum erat, cuius nos scandali causa sumus, qui diuina beneficia & talenta contemnimus, aut etiam abscondimus leuibus quibusq; fomitis tentationibus cedentes, quasi non ad pugnam cum spe certissima uictoriæ per eum, qui pro nobis uicit, sed ad ocium & solatia uocati simus; & non ad crucem, sed ad delicias dirigat nos uita filii Dei, quãquam quidem si refectionem eius acciperemus, & iugum ipsius super nos summeremus, ociaremur & deliciaremur etiam in mediis tentationibus & aduersitatibus, ad Rom. 5. 2. cor. 11. Iac. 1. In hanc spem ergo uiuendum atque orandum: docendi sumus; quoniam omnis disciplina de principio non uidetur eße gaudii sed mœroris: postea uero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, ad Heb. 12.

De

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS.

CAP. VIII.

OSTENDENDVM est alteram esse iustificationem humanā: aliam diuinam, & humanā: operibus & studio quæri: diuinam gratis contingere ex operibus Christi: & humanam quidē prodesse; quòd homines aptiores faciat ad requirendam & recipiendam iustitiam Dei; si in hominibus is sit sensus: vt credant humanam iustitiam homines non attollere ad cōmercium Dei: neq; eos facere filios Dei, & si Deus etiam opera talia muneret temporalibus bonis; item comparatam diuinæ, esse pannum mestruatum Es.64. & stercora & detrimentum, ad Ph.3. Nam quibus talis sensus non est; ij sunt ineptissimi ad iustitiam Dei, nam statuunt suam iustitiam, & iustitiam Dei non aprehendunt ad Rom.9. Ita vt meretrices & publicani præcedant eos in Regno Dei, cum & ipsi peccatores intelligūt sibi opus esse, nō sua, sed iustitia Dei. Nam & peccatores multi in eo sunt errore, vt putent si bona opera haberent humana, fieri, vt facilius impetrarēt gratiam Dei. quocirca, omnibus declarādum est Dei iustitiam nullis operibus humanis tantum mereri, aut impetrari; quia scilicet longius excedat pre

tũ eius, quibus quisquam possit repugnare; nam alioqui frustra mortuus esset filius Dei, si aliunde Dei iustitia haberi potuisset, ad Gal. 2. Neque peccata vllis impedire potest ut quæ detur ad auferenda peccata: iustum ergo fide nostra, nō ea, quæ à nobis tantum procedat, sed quæ donum Dei sit, impetramur iustitiam Dei: ipsa autem iustitia non est fides sola, sed est [illegible] continet [illegible] in se virtutes omnes: ut est fides, spes, & charitas. [illegible] omnes fructus sunt, & effectus huius iustitiæ Dei, [illegible] est Christus & spiritus eius, et gratia, primæ Cor. 1 Eze. 36. ad Eph. 3.

Deus ergo, ut causa efficiens est, qui iustificat nos pro [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

tam

dem eam dicere, quæ fiducia sit, ex multa charitate, vt fides per charitatem sit efficax, parua videtur contentio. Si additio illius verbuli sola, non multa scandala protulisset. Quare non addatur in prędicationibus tale verbum, sed in scolis disputetur a peritis. Sed quia non potest Christus mendax esse, prædicandum est Christum apprehendi non posse nisi super omnia diligatur, vt ipse dixit, Matt. 10. & 16. & Lucæ 9. & 14. & Ioan. 12. & ipse exemplo thesauri ostendit, Matt. 18. qui non habetur nisi prius omnibus distractis, & empto agro, in quo thesaurus sit. Tūc ergo Christus fide apprehenditur, cum prius creditus sit, & optatus & dilectus: & postquàm aui di eius facti sumus, tunc fide audemus eum etiam nostrum facere, abijcientes omnia præ gaudio & spe ipsum assequendi: abijcimus autem omnia affectu; licet non semper ipsa re, vt primis temporibus, qui credebant, ibant, & baptizabantur sic animati, vt si res, & vita, & fama esset amittēda, amitteretur citius, quàm baptismo caruisse vellent: sic & nunc post baptismum, si remißionem peccatorum volumus, accedendum est ad Christi sacramentum, & referenda absolutio, eo tamen animo, vt citius res & uita & fama prodigatur, quàm amplius peccatis assentiamur: alioqui enim perfide, aut duplici animo ad petendam veniam accederemus, quo stante, absolutionem non reportaremus.

Et loca sunt ad praticam optima ipse causæ iustificationis, quas diximus vt posteaquā cōcionator do-

cuerit esse Deum, qui iustificet; admoneat ne iustitiam quærentes eam à nobis, aut ab hominibus inuestigemus; sed & cum baptizamur, cũ absolutionem post confeßionem accipimus: Dei donum. & à Deo nobis datum per eos ministros, & ministeria illa reputemus; illiq; gratiam habeamus, & quàm poßumus per eius misericordiam referamus. Neq; vile putemus quòd tã largiter & tam facile, & per homines nobis largitur; sed Deum honoremus: sic & posteaquã sumus iustificati iustitiã exercentes, putemus Deum nobiscum habere. non enim deserit quos semel iustificauit; sed simul cũ ipsis operatur. quãuis re ut Dominus, & paterfamilias peregre proficiscisse dicatur, relinquens nos diligentiæ nostræ, & Prælatorum nostrorum, qui dent nobis cibum in tempore suo, Matt. 24. & 25. tamen vt Rector, & vita nostra, & amor noster, & via nostra præsens adest semper, & docet nos semper, & nunquàm nos relinquit; vt qui sit caput nostrum & radix nostra, et sine quo facere nihil possumus, Matt. 16. & 28. Ioan. 15. Gen. 28.

Itaq; cum timore & tremore nostram salutem operemur; nõ modo cum præsentes adsunt prelati nostri, sed multo magis etiam cum sunt absentes: quia Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. ad Ph. 2. Quare præsentem agnoscamus Deum vt ambulemus coram ipso, qui firmauit oculos super nos, Gen. 17. Psal. 32.

Ex ea item causa, quòd scilicet nos sumus iustificati, nos

ti, nos materia, quàm tractet Deus & poliat acuenda est nostra diligentia, nam ad nos & splendor, & vtilitas, & honestas reuertitur eo maior, quo in gloriã Dei, & gratiã eius iustificamur. Et non dicamus, sicut solent inepti: Hæc presbyteris, & monachis conueniunt, non nobis; quasi Deus presbyteros tantũ & monachos, & non omnes iustificet. Iccirco ne subtrahamus nos ipsos Deo iustificanti, omnia de manu eius seu aduersa, seu prospera sint, recipiamus; cogitantes quoniam maxime modo per ea Deus nos iustificet, & quid in his à nobis velit quo iustificatio, & fiat, & subinde magis perficiatur. Nemo dicat hoc alteri, non mihi, sed quisque quod offertur, sic ferat, vt à Domino missum, per quod nos vel iustificet, vel perficiat, neque cessandum est a quotidiana, iugi, & incessabili iustificatione recipienda: quia æterna sunt Dei dona, Ecc. 18. & nos iustificari subinde magis possumus: quia infinita est potestas Dei nostri, qua nos ornet, & nos quotidie labimur.

A causa item formali, quòd scilicet Deus iustificet nos non vulgari iustitia, sed sua; sumi potest præclara practica. Sic enim efficimur consortes naturæ diuinæ. 2. Petri. 1. vt modo quodam Deificemur, vnumque cum Deo efficiamur, vt non sit nobis animus vilis, & tremẽs ad ea, quæ præcepit Deus: quasi minora nobis mãdari debuerint. Nam si id debuisset carni, non debet spiritui, quanquam nec carni quidem minora mandari debuerint, si illa ferret, sed mortificanda est, quæ resistit nostris bonis, & nos ad suam

utilitatem reuocare contendit. Cum ergò magna offeruntur, ut crux quotidiana, & alia quæ digna sunt membris Iesu Christi, dicamus: hæc exercitia sunt non nostræ, sed diuinæ iustitiæ, quæ nostra iam facta est: & exercenda à nobis est: & quæ nos iam exercet, & est semper exercitatura: ne talentũ ociosum habẽtes nobis auferatur, et infructuosi abscindamur.

Sumenda *A causa quoque finis magna ratio benefaciendi sumenda est; qua hortentur concionatores, nos ad benefaciendum. Nam siue eam consideremus à parte nostra, finis est, vt in sanctitate & iustitia coram Deo seruiamus illi oĩbus diebus vitæ nostræ, Luc. 2. ad Eph. 1. vtque in ęternum fruamur Deo nostro, Matt. 13. & etiam in hac uita lęti quoquę in medijs tribulationibus degamus, ad Rom. 5. Iac. 1. Quare properandum est, vt perficiatur iustificatio in nobis; quo securius, & honestius & lætius, & cũ summo bono uiuamus.*

Si item cõsideremus à parte fratrum nostrorum, quibus iustificatio nostra vtilis est; & quibus in exẽplum, & lumen positi sumus: magni nobis stimuli positi sunt, iustitiæ appetendę & exercendæ, ne vlli vnquam scandalo simus, sed omnibus simus in ædificationẽ: vt sermo noster sale sit conditus, Coloss. 4. vt gratiã det audienti ad ædificationem, fidei, Eph. 4. & pręsertim hoc tempore, quo multa in apertũ scandala peruenerunt vendẽtia eipsa tanquam sint lux missa a Deo. Nam multi magistri erroris processerunt, qui volunt abducere homines post se, & promittunt

mittunt libertatem, cum ipsi sint vitiorum omnium serui, 2. Pet. 2. Reprehendentes quidem aliorum, & & bene, & male facta, nihil tamen ipsi dignū Christiano homine facientes.

Si item (quod pręcipuum nobis esse debet:) eam consideremus ex parte Dei nostri, qui iustos nos facit, vt simus in laudē gloriæ gratiæ suæ, ad Eph. 1. vt sibi seruiamus Lucæ 2. quid deesse potest, vt non semper esuriamus, & sitiamus iustitiam Dei, etiam cum maxime iusti sumus? cum nunquam esse nimis iusti, & pulchri valeamus, cū in gloriam Dei nostri iustificemur. Ad hæc, animus erigendus est: in hoc prędicatorum eloquentia exerceatur, vt doceamur quæ dignitas nostra hæc sit. & ita spernamus quas quotidie, sed decepti glorias & dignitates expetimus, etiam per viam peccatorum inhonorantes Deum; à qua insipientia Deus nos auertat, & prædicatores pariter Deo fauente nos conentur auertere; nam eius ministri in hoc sunt.

Postremo, causam inspiciētes Christi meritorum: & quibus ille doloribus, & laboribus, & quibus suis & suorum studijs parauerit nobis hanc dignitatem: vt reciperemur ad iustificandum per iustitiam Dei, etiam si maxime nos ipsos odio haberemus; vt neq; iusti effici, neque beati esse vellemus, tamen ne irriti in nobis fierent labores, & dolores, & studia, & conatus amatoris nostri Iesu Christi; annittendum nobis duceremus, vt hanc iustificationem reciperemus, quomodo grati esse aliquousque valeremus tan

to nostro amatori, & Redemptori: neque paruam iustitiam, sed precipuam & maximam appetere debemus, vt precipue, ac maxime tantum beneficium honoremus, & tantum benefactorem glorificemus, ne si minus aliquid vellemus, minus honorare Deum nostrum velle videremur. Non hic ergo inspicienda est vilitas nostra, sed precium eius, quo nos redemit, vt nos ipsos tanti faciamus, quanti ipse nos fecit, qui nouit quid agat: & qui facit preciosa, etiam quæ vilia sunt, vbi ipse illa voluerit. Quapropter tantum iustitiæ, & gratiæ diuinæ velimus, quantum nobis lucratus est Dominus Iesus tota vita, passione resurrectione, & omnibus actionibus suis. Non enim arrogantes in hoc simus, aut impudentes: sed iure nostro vtimur. Sumus enim procuratores Christi ad faciendum, vt persoluatur id, quod precio Christi nobis est emptū. Quis nobis potest contradicere? Quid audet caro nostra insipiens & superbißima remurmurare, & humilitatem falsam prætendere? Quid audet Satanas obstrepere? an non magis superbum esset nolle id accipere quod tanto precio nobis est emptum ab amatore nostro? quasi nos tales simus, vt absque eo, aut cum minore parte eius facere valeamus? His & similibus rationibus animati fidenter nos ipsos totos Deo nostro committemus, & non superbis altercationibus a nouis huiusce ætatis magistris vexati sinistrorsum abducemur.

Est præterea alia quædam iustificatio, quæ ex hac fluat necesse est: ea autem est, qua facta, & opera

nostra

sumus

nostra iustificamus, scilicet viuentes ex fide, vt nihil prorsus agamus quod putemus Deo displicere: aut quod putemus Deo non placere: ne si aliter iudicemus, ad peccatum nobis imputetur: quia quod non est ex fide, peccatum est, ad Rom. 14. & hic quędam est adhibenda cautela, vt non propterea quod nobis nihil conscij simus, iustificatos nos putemus, vt primæ Cor. 4. Sed potius timeamus oĩa opera nostra, Iob. 9. ob fragilitatem sensus nostri: atque ideo semper solliciti simus, vt discretionem spiritus (quod Dei donũ est, primæ Cor. 12.) expetamus; vt semper Deum imploremus, ne vnquam nos relinquat sensui nostro, sed regat spiritu suo; nam nobis multi errores possunt obstare: pręsertim cum Satanas trãsfiguret se in Angelum lucis, & ministros suos tales multos habeat. 2. Cor. 11. Itaq; fit in nobis zelus Dei absq; scientia, ad Rom. 10. ita ut interficientes Apostolos Christi, & inspirationes eius, putemus nos interdum facere sacrificium Deo, Ioan. 16. Suspecta ergo nobis ita esse debet omnis prudentia nostra: vt minime in ea speremus, sed fidẽ habeamus Deo, Prou. 3. Ad fidem nostrã corroborandam valebit sciẽtia scripturarum, frequensq; bonarum prædicationũ auditus; & fuga ab his, quæ corrumpunt bonos mores, primæ Cor. 15. et à fallacia peccati, ne obduremur. ad Heb. 3. ne amittamus fidẽ & conscientiæ lumen: & incipiamus gaudere cum malefacimus, Prou. 2. Valet item etiam consuetudo ecclesiæ, quæ est columna veritatis, primę Timot. 3. Valent & constitutiones re-

obresere

DE PECCATO ORIGINALI.

CAP. VII.

DE PECCATO originali scrupulosa & parum intelligibilia populo ne inculcentur: satis sit ostendere amissam nobis esse patriam in patre nostro, qui commisit unde è Paradiso eijceretur; factus morti obnoxius absq; remedio: Nam in Paradiso arbor vitę fuit; qua immortalitas seruabatur; his difficultatibus fit, ut cum mors nos quotidie & omnibus momentis oppugnet, non sit nobis spatium ad cogitandum de nobis, aut de patria nostra. Ad hæc, cum diabolus, qui semel nos decepit, quotidie urgeat, ne nos amittat, cumq; magno commertio malorum utamur; factum est ut iustitia, ne dum Dei, sed humana quoque inaccessa iam sit: quãquam etiam si humana iustitia ornati essemus, nihil amplius haberemus, quàm quod aliquanto aptiores essemus, accipiendę iustitiæ Dei: quandocunque eam nobis Deus offerret; si tamen prius intelligeremus iustitiam nostram nihil esse, immo stercus, & detrimentum esse; si comparetur diuinæ, ad Phil. 3. & Es. 64. Propterea docendi sunt homines, ita male affectos hoc peccato esse, ut proni sint ad malum ab adolescentia sua Gen. 8. ad bonum au-

tem

tem ineptissimi, nisi gratia Dei asumant pennas ut aquilæ Esa.40. & sumant Christi refectionem & iugum eius, quòd pacem præbet animabus nostris Matt.11. & quòd ad hoc uenit Christus, & fidem nobis fecit; & spiritum promisit, ut liberis a metu mortis, & ab operibus diaboli ad Heb.2. iam peccatum originale neque fructus eius, qui nobis inuitis proueniunt, non imputentur ad Ro.7. & 8. sed tantũ exerceant nos, seq; ipsos nobis hoc frequentiores ostẽdant, quo illos celerius exuamus, & Christum induamus: & quo frequentius oremus, & humiles sollicitiq; ambulemus cum Deo nostro, neq; ab ipso uel latum unguẽ discedamus. Itaque iam mors nobis non horrori, sed in uotis est, quandoquidem per eam transiit filius Dei præiens uiam nostram: certiq; si terrestris hæc domus nostra destruitur, quòd habemus non manufactam in cęlis. Cor.4. in fi. & 5.

Et quoniam multi sic peccatum originale accipiunt, ut putent excusata per illud omnia ipsorũ peccata; proinde docendi sunt non excusari, sed accusari magis: quia cum uiderent quàm periculosum hostem secum haberent, non implorarint gratiam Dei; non cum illo pugnauerint, sed se se uictos tradiderint, non modo non honorantes Christum Dei filium, qui ipsos ad pugnam uocabat, sed accusantes tãquam per illud uinci eos oportuerit, neque à Christo ullum auxilium sibi sperandum crediderint aduersus tale peccatum; præsertim cum in baptizatis non sit uere peccatum, sed fomes tantum: atque ideo debilius quiddam, quàm

ante fuerit.

Nonnulli haud credunt quæ Christiani dicunt de peccato originali, sed tales nos natura esse arbitrantur, & non quòd nascamur filij iræ; neque quòd renasci oporteat ex aqua & spiritu sancto. Itaq; nihil auxilij nobis afferri putant, sed tantum admoneri ut cum uiribus nostris resistamus peccato, hij sunt, ut qui carent lumine, & tantum quia parentum uitio lusciosi nati sunt, putant id non uitio sed natura factum. Quare utendum est persuasorijs, sed magis prece apud Deum, quo eos illuminet & allegatione scripturæ, si eã recipiunt ut ad Ro. 5. ad Eph. 2. ps. 50. nam quisquis hoc ignorat, allucinatur in multis: & q̃d præcipuum est, non intelligit sibi opus esse gloria & gratia Dei, & gratis iustificari ad Ro. 3. id quod prorsus hominem perdidit, & externum retinet a Regno Dei.

Nonnulli item sunt, qui nollent peccatum hoc & fomitem ipsum ne materialiter quidem nobis inesse, sed extinctum uellent prorsus: qui placandi sunt; quoniam ita placuerit Deo nostro, esse quidem solutũ precium, quo & auferri potuerit etiam fomes, & materia originalis peccati, & non reatus tantum; & futurum ut in resurrectione non resurgat stimulus talis, sed nunc placuit Deo ut ita sit, ut sentiẽtes subinde ex illo periculum, recordemur unde nos duxerit, quod maius est beneficium quàm eductos fuisse ex Aegipto, ita ut obscuretur illud beneficium præ isto Hier. 16. & 23. Vtq; ita solliciti ambulemus cum

Deo

Deo nostro, & semper augeri nobis fidem specie & charitatem, & omnia sancti spiritus dona. Oremus quominus fomes ille nobis sit molestus & minus nos urgeat, utq; si quid egerit: nō id nos egisse uideamur, sed ipsum quod habitat in carne nostra peccatum ad Ro. 7. ut minus minusq; uita hæc nobis placeat, sed semper finem eius læti prestolemur, nisi quatenus alio rum saluti seruiendum est, ut ad Phi. 1. utq; facilius uitam & omnia prodigamus cum datur occasio pro gloria Christi, ne occasionem amittamus, sed arripia mus ut per quam demus gloriam Deo, & nos à tam infesto & domestico tyranno in libertatem plenissimam asseramus.

Et quidem diligenter & caute attendendum est: nam aduerso flumine lenum trahimus, & terra nostra spinas & tribulos subinde generat, quo suffocetur uerbum; & instat qui nobis dormientibus super seminet zizania, & circuit quærens quem deuoret, habens in carne nostra, à quo facilime ad nos deglutiendos recipiatur. Lembum

Itaque admoneant omnes non esse cunctandum, non esse subsistendum; aut dicendum: sufficit; ultra non progredior, sed semper esurienda, & sitienda iustitia Dei est spiritu, sicut carne semper iniustitia appetitur, & nunquam ab ea fame & siti desistitur, quid quod nullus noster erga Deum conatus ad amā dum ad fidendum in ipsum, sed tepidissimi si non etiā & frigidissimi sumus ad ea, quæ Dei sunt, ut iam nō oppugnare nos, sed regnare in nobis peccatum uidea

tur; atque ideo, non iam solus fomes, sed in eo etiam reatus reaccensus uideatur.. Oremus ergo semper, ne in damno, sed in exercitio, & lucro relictus nobis fomes appareat, ut simus in gloriam Dei & proximorum salutem, & non in aliorum scandalum, qui Christianos pares aliis in peccando dum uident, mentiri nos aiunt de gratia & auxilio Dei; quandoquidem in operibus & uita nostra nullum testimonium eius apparet, aut tam exiguum; ut quiduis potius quàm gratiam & auxilium Dei, id esse arbitrentur itaque & scandalizantur quasi nondum uenerit filius ei, nondum sit beneplaciti tempus, nec dum allatum sit pactum nouum, quòd promissum erat, cuius nos scandali causa sumus, qui diuina beneficia & talenta contemnimus, aut etiam abscondimus leuibus quibusq; fomitis tentationibus cedentes, quasi non ad pugnam cum spe certissima uictoriæ per eum, qui pro nobis uicit, sed ad ocium & solatia uocati simus; & non ad crucem, sed ad delicias dirigat nos uita filij Dei, quãquam quidem si refectionem eius acciperemus, & iugum ipsius super nos summeremus, ociaremur & deliciaremur etiam in medijs tentationibus & aduersitatibus, ad Rom. 5. 2. cor. 11. Iac. 1. In hanc spem ergo uiuendum atque orandum: docendi sumus; quoniam omnis disciplina de principio non uidetur esse gaudij sed mœroris: postea uero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, ad Heb. 12.

De

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS.

CAP. VIII.

OSTENDENDVM est alteram esse iustificationem humanã: aliam diuinam, & humanã: operibus & studio quæri: diuinam gratis contingere ex operibus Christi: & humanam quidẽ prodesse; quòd homines aptiores faciat ad requirendam & recipiendam iustitiam Dei; si in hominibus is sit sensus: vt credant humanam iustitiam homines non attollere ad cõmercium Dei: neq; eos facere filios Dei, & si Deus etiam opera talia muneret temporalibus bonis; item comparatam diuinæ, esse pannum mestruatum Es.64. & stercora & detrimentum, ad Ph.3. Nam quibus talis sensus non est; ij sunt ineptissimi ad iustitiam Dei, nam statuunt suam iustitiam, & iustitiam Dei non aprehendunt ad Rom.9. Ita vt meretrices & publicani præcedant eos in Regno Dei, cum & ipsi peccatores intelligũt sibi opus esse, nõ sua, sed iustitia Dei. Nam & peccatores multi in eo sunt errore, vt putent si bona opera haberent humana, fieri, vt facilius impetrarẽt gratiam Dei. quocirca, omnibus declarãdum est Dei iustitiam nullis operibus humanis tantum mereri, aut impetrari; quia scilicet longius excedat pre

tiũ eius, quàm quisquàm possit reputare; nam alioqui frustra mortuus esset filius Dei, si aliunde Dei iustitia haberi potuisset, ad Gal. 2. Neque peccatis vllis impediri potest vt quæ detur ad auferenda peccata: solum ergo fide nostra, nõ ea, quæ à nobis tantum procedat, sed quæ donum Dei sit, impetratur iustitia Dei: ipsa autem iustitia non est fides sola, sed est omnia: continet enim in se virtutes omnes: vt est fides, spes, & charitas, quæ omnia fructus sint, & effectus huius iustitiæ Dei, ea autem est Christus & spiritus eius, et gratia, primæ Cor. 1. Eze. 36. ad Ro. 3.

Deus ergo, vt causa efficiens est, qui iustificat: nos pro causa materiali sumus, quos iustificat; iustitia sua pro causa formali est, qua nos iustificat: gloria sua ipsius & gratia sua est, obquam nos iustificat, & vt nos boni ac beati simus, & sibi consortes in gloria filij sui, ad Rom. 3. ad Eph. 1. Ioan. 17. omnia enim propter semetipsum creauit Altissimus, Prou. 16. nullus enim finis melior. Cur autem non omnes iustificamur; quandoquidem omnia sunt ex Deo? hic hæret res: sed quoniam causa meritoria est filius, & passio ipsius; vt in quo posuit omnium nostrum peccata, Es. 53. & is hanc iustificationem non nisi credentibus, & seipsum sequentibus meruit: ideo non omnes iustificamur, quia non omnes Christũ apprehendimus, atque hic, est famosa illa quæstio, an sola fide Christus apprehendatur, an etiam requiratur cum fide charitas. Verum quia, & qui sola fidè dicunt Christum apprehendi, declarant solam se fi-

dem

dem eam dicere, quæ fiducia sit, ex multa charitate, vt fides per charitatem sit efficax, parua videtur contentio. Si additio illius verbuli sola, non multa scandala protulisset. Quare non addatur in prędicationibus tale verbum, sed in scolis disputetur a peritis. Sed quia non potest Christus mendax esse, prædicandum est Christum apprehendi non posse nisi super omnia diligatur, vt ipse dixit, Matt. 10. & 16. & Lucæ 9. & 14. & Ioan. 12. & ipse exemplo thesauri ostendit, Matt. 18. qui non habetur nisi prius omnibus distractis, & empto agro, in quo thesaurus sit. Tūc ergo Christus fide apprehenditur, cum prius creditus sit, & optatus & dilectus: & postquàm aui di eius facti sumus, tunc fide audemus eum etiam nostrum facere, abijcientes omnia præ gaudio & spe ipsum assequendi: abijcimus autem omnia affectu; licet non semper ipsa re, vt primis temporibus, qui credebant, ibant, & baptizabantur sic animati, vt si res, & vita, & fama esset amittēda, amitteretur citius, quàm baptismo caruisse vellent: sic & nunc post baptismum, si remißionem peccatorum volumus, accedendum est ad Christi sacramentum, & referenda absolutio, eo tamen animo, vt citius res & uita & fama prodigatur, quàm amplius peccatis assentiamur: alioqui enim perfide, aut duplici animo ad petendam veniam accederemus, quo stante, absolutionem non reportaremus.

Et loca sunt ad praticam optima ipse causæ iustificationis, quas diximus vt posteaquā cōcionator do-

cuerit esse Deum, qui iustificet; admoneat ne iustitiam quærentes eam à nobis, aut ab hominibus inuestigemus; sed & cum baptizamur, cũ absolutionem post confeßionem accipimus: Dei donum & à Deo nobis datum per eos ministros, & ministeria illa reputemus; illiq; gratiam habeamus, & quàm poßumus per eius misericordiam referamus. Neq; vile putemus quòd tã largiter & tam facile, & per homines nobis largitur; sed Deum honoremus: sic & posteaquã sumus iustificati iustitiã exercentes, putemus Deum nobiscum habere. non enim deserit quos semel iustificauit; sed simul cũ ipsis operatur. quãuis re ut Dominus, & paterfamilias peregre proficiscisse dicatur, relinquens nos diligentiæ nostræ, & Prælatorum nostrorum, qui dent nobis cibum in tempore suo, Matt. 24. & 25. tamen vt Rector, & vita nostra, & amor noster, & via nostra præsens adest semper, & docet nos semper, & nunquàm nos relinquit; vt qui sit caput nostrum & radix nostra, et sine quo facere nihil possumus, Matt. 16. & 28. Ioan. 15. Gen. 28.

Itaq; cum timore & tremore nostram salutem operemur; nõ modo cum præsentes adsunt prelati nostri, sed multo magis etiam cum sunt absentes: quia Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. ad Ph. 2. Quare præsentem agnoscamus Deum vt ambulemus coram ipso, qui firmauit oculos super nos, Gen. 17. Psal. 32.

Ex ea item causa, quòd scilicet nos sumus iustificati, nos

ti, nos materia, quàm tractet Deus & poliat acuenda est nostra diligentia, nam ad nos & splendor, & vtilitas, & honestas reuertitur eo maior, quo in gloriã Dei, & gratiã eius iustificamur. Et non dicamus, sicut solent inepti: Hæc presbyteris, & monachis conueniunt, non nobis; quasi Deus presbyteros tantũ & monachos, & non omnes iustificet. Iccirco ne subtrahamus nos ipsos Deo iustificanti, omnia de manu eius seu aduersa, seu prospera sint, recipiamus; cogitantes quoniam maxime modo per ea Deus nos iustificet, & quid in his à nobis velit quo iustificatio & fiat, & subinde magis perficiatur. Nemo dicat hoc alteri, non mihi, sed quisque quod offertur, sic ferat, vt à Domino missum, per quod nos vel iustificet, vel perficiat, neque cessandum est a quotidiana, iugi, & incessabili iustificatione recipienda: quia æterna sunt Dei dona, Ecc. 18. & nos iustificari subinde magis poßumus: quia infinita est potestas Dei nostri, qua nos ornet, & nos quotidie labimur.

A causa item formali, quòd scilicet Deus iustificet nos non vulgari iustitia, sed sua; sumi potest præclara practica. Sic enim efficimur consortes naturæ diuinæ. 2. Petri. 1. vt modo quodam Deificemur, vnumque cum Deo efficiamur, vt non sit nobis animus vilis, & tremẽs ad ea, quæ præcepit Deus: quasi minora nobis mãdari debuerint. Nam si id debuisset carni, non debet spiritui, quanquam nec carni quidem minora mandari debuerint, si illa ferret, sed mortificanda est, quæ resistit nostris bonis, & nos ad suam

utilitatem reuocare contendit. Cum ergò magna offeruntur, ut crux quotidiana, & alia quæ digna sunt membris Iesu Christi, dicamus: hæc exercitia sunt non nostræ, sed diuinæ iustitiæ, quæ nostra iam facta est: & exercenda à nobis est: & quæ nos iam exercet, & est semper exercitatura: ne talentũ ociosum habẽtes nobis auferatur, et infructuosi abscindamur.

Sumenda

A causa quoque finis magna ratio benefaciendi sumenda est; qua hortentur concionatores, nos ad benefaciendum. Nam siue eam consideremus à parte nostra, finis est, vt in sanctitate & iustitia coram Deo seruiamus illi oĩbus diebus vitæ nostræ, Luc. 2. ad Eph. 1. vtque in ęternum fruamur Deo nostro, Matt. 13. & etiam in hac uita lęti quoque in medijs tribulationibus degamus, ad Rom. 5. Iac. 1. Quare properandum est, vt perficiatur iustificatio in nobis; quo securius, & honestius & lætius, & cũ summo bono uiuamus.

Si item cõsideremus à parte fratrum nostrorum, quibus iustificatio nostra vtilis est; & quibus in exẽplum, & lumen positi sumus: magni nobis stimuli positi sunt, iustitiæ appetendę & exercendæ, ne vlli vnquam scandalo simus, sed omnibus simus in ædificationẽ: vt sermo noster sale sit conditus, Coloss. 4. vt gratiã det audienti ad ædificationem fidei, Eph. 4. & pręsertim hoc tempore, quo multa in apertũ scandala peruenerunt vendẽtia eipsa tanquam sint lux missa a Deo. Nam multi magistri erroris processerunt, qui volunt abducere homines post se, & pro-

mittunt

mittunt libertatem, cum ipsi sint vitiorum omnium serui, 2. Pet. 2. Reprehendentes quidem aliorum, & & bene, & male facta, nihil tamen ipsi dignũ Christiano homine facientes.

Si item (quod precipuum nobis esse debet:) eam consideremus ex parte Dei nostri, qui iustos nos facit, vt simus in laudẽ gloriæ gratiæ suæ, ad Eph. 1. vt sibi seruiamus Lucæ 2. quid deesse potest, vt non semper esuriamus, & sitiamus iustitiam Dei, etiam cum maxime iusti sumus? cum nunquam esse nimis iusti, & pulchri valeamus, cũ in gloriam Dei nostri iustificemur. Ad hæc, animus erigendus est: in hoc predicatorum eloquentia exerceatur, vt doceamur quæ dignitas nostra hæc sit. & ita spernamus quas quotidie, sed decepti glorias & dignitates expetimus etiam per viam peccatorum inhonorantes Deum; à qua insipientia Deus nos auertat, & prædicatores pariter Deo fauente nos conentur auertere; nam eius ministri in hoc sunt.

Postremo, causam inspiciẽtes Christi meritorum: & quibus ille doloribus, & laboribus, & quibus suis & suorum studijs parauerit nobis hanc dignitatem: vt reciperemur ad iustificandum per iustitiam Dei, etiam si maxime nos ipsos odio haberemus; vt neq; iusti effici, neque beati esse vellemus, tamen ne irriti in nobis fierent labores, & dolores, & studia, & conatus amatoris nostri Iesu Christi; annittendum nobis duceremus, vt hanc iustificationem reciperemus, quomodo grati esse aliquousque valeremus tan

to nostro amatori, & Redemptori: neque paruam iustitiam, sed præcipuam & maximam appetere debemus, vt præcipue, ac maxime tantum beneficium honoremus, & tantum benefactorem glorificemus, ne si minus aliquid vellemus, minus honorare Deum nostrum velle videremur. Non hic ergo inspicienda est vtilitas nostra, sed precium eius, quo nos redemit, vt nos ipsos tanti faciamus, quanti ipse nos fecit, qui nouit quid agat: & qui facit preciosa, etiam quæ vilia sunt, vbi ipse illa voluerit. Quapropter tantum iustitiæ, & gratiæ diuinæ velimus, quantum nobis lucratus est Dominus Iesus tota vita, passione, resurrectione, & omnibus actionibus suis. Non enim arrogantes in hoc simus, aut impudentes: sed iure nostro vtimur. Sumus enim procuratores Christi ad faciendum, vt persoluatur id, quod precio Christi nobis est emptũ. Quis nobis potest contradicere? Quid audet caro nostra insipiens & superbissima remurmurare, & humilitatem falsam prætendere? Quid audet Satanas obstrepere? an non magis superbum esset nolle id accipere quod tanto precio nobis est emptum ab amatore nostro? quasi nos tales simus, vt absque eo, aut cum minore parte eius facere valeamus? His & similibus rationibus animati fidenter nos ipsos totos Deo nostro committemus, & non superbis altercationibus a nouis huiusce ætatis magistris vexati sinistrorsum abducemur.

Est præterea alia quædam iustificatio, quæ ex hac fluat necesse est: ea autem est, qua facta, & opera

nostra

nostra iustificamus, scilicet viuentes ex fide, vt nihil prorsus agamus quod putemus Deo displicere: aut quod putemus Deo non placere: ne si aliter iudicemus, ad peccatum nobis imputetur: quia quod non est ex fide, peccatum est, ad Rom. 14. & hic quędam est adhibenda cautela, vt non propterea quod nobis nihil conscij simus, iustificatos nos putemus, vt primæ Cor. 4. Sed potius timeamus oĩa opera nostra, Iob. 9. ob fragilitatem sensus nostri: atque ideo semper sollciti simus, vt discretionem spiritus (quod Dei donũ est, primæ Cor. 12.) expetamus; vt semper Deum imploremus, ne vnquam nos relinquat sensui nostro, sed regat spiritu suo; nam nobis multi errores possunt obstare: pręsertim cum Satanas trãsfiguret se in Angelum lucis, & ministros suos tales multos habeat. 2. Cor. 11. Itaq; fit in nobis zelus Dei absq; scientia, ad Rom. 10. ita ut interficientes Apostolos Christi, & inspirationes eius, putemus nos interdum facere sacrificium Deo, Ioan. 16. Suspecta ergo nobis ita esse debet omnis prudentia nostra: vt minime in ea speremus, sed fidẽ habeamus Deo, Prou. 3. Ad fidem nostrã corroborandam valebit sciẽtia scripturarum, frequensq; bonarum prædicationũ auditus; & fuga ab his, quæ corrumpunt bonos mores, primæ Cor. 15. et à fallacia peccati, ne obduremur. ad Heb. 3. ne amittamus fidẽ & conscientiæ lumen: & incipiamus gaudere cum malefecimus, Prou. 2. Valet item etiam consuetudo ecclesiæ, quæ est columna veritatis, primę Timot. 3. Valent & constitutiones re-

obrepere

cepta, & prælatorum mandata, vt fidem nostram firmemus placere Deo, quæ secundum illas perficiamus; quia dati sunt nobis pastores: & mandatum, ut eis obediamus, ad Heb. 13. Itaq; nisi aduersus præcepta Dei præcipiant, recipiendi sunt, Act. 4. & 5.

Neque hic probandi sunt scrupuli aliquorum, qui nihil agendum dicant, quod e scripturis haberi non possit; nam si sic alligamur, iam sub lege sumus: libertas in nobis nō est, hæc illa erat antiquorum iustitia, qui sub lege erant; Deut. 4. & 12. qui sub tutoribus, & actoribus erant vsque ad præfinitū tempus à patre, ad Gal. 4. Nos autem in libertatem uocati sumus, vt charitas nobis præscribat, quid agamus. Itaq; scripturæ nobis inseruiūt, ne Satanas nobis sub obtentu, & charitatis, & libertatis aliquid obtrudat indignum Deo, & scripturis contrarium. Non vt sub illis tanquam puerulí semper viuamus, bene quidem erit de principio nihil aliud agere quàm quod scripturis, & consuetudini ecclesiæ probatum appareat: vt discamus & sensum perficiamus, quo postea liberiores videamus, quæ scripturis & ecclesiæ conueniant: quàmuis nusquàm sint expressa. Nam si rudes assuesceremus nostro sensui, facile nobis imponeretur a Satana & carne nostra, nō tenentibus sensum Dei e scripturis sanctis, & consuetudine sanctorum, & ecclesiæ Dei.

Videndum item est, vt bona bene agamus, quare suas circunstantias nostris actionibus adhibeamus: sic tamen vt non impediamur a cursu rectæ actionis,

dum

dum omnes circunstantias volumus considerare, sed sperare debemus Deum boni consulere, neq; morose nobiscum acturum; sed potius suppleturum, quæ desunt. vt 2. Paral. 30. Ipse enim nouit figmentum nostrum, vt vereamur quidem opera nostra, Iob. 9. sed speremus placatum Deum, & quòd labor noster non erit inanis in Domino, primę Cor. 15. in fi. hæc autem non excusant negligētes, & multo minus eos, qui contemnunt doceri, sed facere volunt cogitationes cordis sui. Nam quia Deum contemnunt in suis ministris, & in remedijs, quæ Deus nobis parauit: non habebunt Deũ placatum, sed iratum gustabunt, at si dicant. Non vacat nobis semper alios consulere, non id eos excusat, neq; enim semper necessaria est consultatio. multa enim aperta sunt in vtranque partem. Ad hæc: si meditari consueuerint mandata Dei; prudentiores erunt etiam Doctoribus suis, Psal. 118. & non fornicabuntur post oculos suos, Num. 15. neq; decipientur a cogitationibus cordis; nam saltem dubitare incipient, & ita quærēt quos consulant, Deu. 17.

DE

DE FIDE ET OPERIBVS.

CAP. IX.

DE FIDE & operibus; quia multa est non modo inanis, sed etiam pernitiosa apud multos contentio; declarandum est, neq; fidem absq; operibus ualere Iaco. 2. ad Gal. 5. modo tempus sit operandi: neque opera absque fide, quoniam impossibile sit absq; fide placere Deo ad Heb. 11. licet interdum fides aliena etiam aliis prosit ut Matt. 9. sicut dicimus de baptismo paruulorum, quòd eis fides ecclesiæ prosit, ut credere dicātur, quia credit ecclesia, quæ illos præsentat.

Verum, quia multi sunt pertinaces, neque admittunt quæ dicuntur: declarandum est, neminem operari absque aliqua fide; & neminem fidem habere absque ullo opere. Quilibet ergo, qui operatur, in spē aliquam operatur; atque ita & Iudei, & Maumetani, & Idolatræ omnes operantur, credētes sese per ea opera Deo placere, & Deum sibi placatum efficere; Sic & multi Christianorum credunt se suis operibus Deo placere, etiam quòd non essent Christiani. Et ita operantur ea, quę ipsis uidentur bona, quę credunt Deo esse accepta per se ipsa. Hæc fides Paganorum; & Iudæorum, & talium Christianorum nō est fides Christiana; neque illa, quæ donum Dei est, & quæ ad Iustitiam reputetur. Quare opera per eam fa

cta sic Deo placere possunt, ut tamen ad Iustitiam nō imputētur, sed habeāt terrena sua munera in utrāq; partem. Oportet ergo credere nos, & opera nostra Deo placere, non propter nos, aut propter se ipsa, sed propter Christum, in quem credidimus: propter ipsum enim fit, ut illa nobis pro iustis imputentur, & acceptentur a Domino, Quare opus est ut faciamus quæ placeant Christo Iesu, & quæ Christus ipse nobis mādauerit, aut commendauerit; aut certe, quæ illis contraria non sint; nam alioqui fides nostra nō esset a Deo, ut quæ probaret ea quę Christo non placent. Fides igitur ad iustitiam reputatur, non illa, quæ a nobis est tantum sed illa, quæ est à Deo. Deus autem nusquam dixit placere sibi ad Iustitiam cuiusquam opera, qui ipse prius nō placeret. Neque dixit opera eorum, qui sibi ipsis placent, sibi placere, si fuerint ingrata Christo; propter Christum autem solum placemus Deo Act. 4. ad Ro. 3. & 4. quia in eo remissa sunt omniū nostrum peccata Es. 53. & propter ipsum placet opera nostra, si sint quæ deceant nos, quando Christi sumus membra. Cum ergo pertinaces dicunt, fidem ad iustitiam reputari; concedemus, modo sit uera fides, quę Dei sit donum, quæ est per Iesum Christum, cuius fidei opera non sunt, quę Christo non placent: Ideoq; illa non iustificatur: sicut neque homines ea fide iustificant; cui fidei obedire non uolunt. Sed obtemperare fidei carnis suæ & propriæ cogitationis non inspiratæ à domino. fides ergo qua quis credit iustificari hominem per bona opera. Etiam sine Christo: Item

propter christi fieri.

qua creditur pro Christiano fieri,ut peccantibus peccata & negligentiæ non imputentur,sed pro iustis habeantur. Etiam quòd peccatorum suorum penitentiã agere non uelint:non iustificat, neque inspirata est à Deo,qui sine Christo neminem iustificat,& dum per Christum iustificat: penitentiam agentes iustificat, non impenitentes misit filium suum peccatores uocare ad penitentiam Lucę 5.sic, siquis dicat fidem se habere,& in ea securus degat,agens quod sibi libet, neque saltem sentit se urgeri ad timorem Dei,& iudiciorum eius,neque ad amorem ipsius, & promissionum suarum:neque ad amorẽ proximorum:ad eleemosinas:ad parcendum,ad bene agendum, sub spe diuinarum promissionum, is credat se non habere fidem,quę domum Dei est: quę stimulat homines ad dimittenda peccata,& ad Christum imitandum, & aliam fidem quærat quæ sit à Deo. Similiter si sentiat quidem sese per fidem urgeri ad opera bona,neque tamen uideat sese fidei obedire, credat se quidem donum Dei habere, & talentum uere fidei; sed nisi eam exerceat,aut alij ad lucrum accommodet, futurum ut ocioso talentum auferatur Matt.25.& multo magis ac uelocius si contra fidem nitatur secutus sensum carnis suæ,et de hoc,dic ut infra in tit.de Lege & Euangelio,cum tractatur de ijs, qui dicunt se se ad extremum usuros esse fide,& nomen domini inuocaturos ad salutem.

Huc ergo adducenda est practica doctorum, cum dicunt:Tu dicis,credere, te esse filium Dei: & uiuis

vt filius

ut filius diaboli. Tu dicis credere & expectare iudicium Dei: & sic uiuis, ac si nunquam redditurus sis rationem; an nescis, Deo, cui nihil abscondi potest, te esse redditurum rationem? Dicis, Christus pro me satisfaciet; & tamen sic uiuis uelut ad te nihil Christus pertineat, aut quasi credas Christum satisfacere pro ijs, qui nolunt pœnitentiam agere ac pro ijs, quos ipse ad se uocat: & uitia relinquant; & tamen ipsi ab eo recedunt, & ad peccata recurrunt: quasi Christus minister peccati sit. Tu dicis credere uerbis Christi; & in eo Euãgelico esse sermone; quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, nihilominus pauperes aut negligis, aut contemnis, aut fugis, aut minimo donas; ut qui nihil credas te Christo gratificari. Tu prelatos et ministros, quos tibi Christus dedit, non attendis, & quomodo uerum est quod dicis Christo te credere? nisi forte Christo quidem credis, sed Christum pro nihilo habes, & Deum nihil esse putas. Fideles appellat Christus eos, qui negociantur talentis, quæ ipse illis commisit, tu uero negligis, & ociaris in eis: & tua tãtum exerces, Christũ nihil ueritus. Matt. 25. an sperasillum mentiturum pro te cũ sit ipse ueritas? Ioã. 14. ille dicit: gaudete & exultate cum pro iustitia persecutionem patimini & propter me & Euangelium. Tu fugis, aut absconderis, aut excusas, & crucem fugis, sequutus amicitiam mundi huius, qui Christum odio habet Ioan. 7. Iaco. 4. ille dicit sanctis datum esse, ut possint alios in æterna tabernacula recipere. Lucæ. 16. Tu eos, ut quibus nihil putes datum contemnis,

contemnis, & nihil auxilij ferre posse contendis, & ita concionatores per Christi uerba conentur infringere mendacium eorum: qui dicunt sese fidem habere, cum uerbis Deum confiteantur; & factis negant ad titu. 1.

Hic autem occurrunt multi, cogitationibus tacitis dicentes: Quid oportuit Christum uenire, & peccatores saluos facere, si non nisi ex operibus grati sumus Deo? cum hoc etiam ante ipsius aduentum habebamus: ut bonis operibus promereamur Deũ; hoc enim tota lex clamat. Lib. 4. Docendi sunt, ut dictum est supra in tit. de Iustificatione, scilicet absque Christo nulla unquam opera potuisse nos comendare Deo, ut filij Dei haberemur; hoc tantum habuimus semper ex fide Christi: nam ante & post Christi aduentum non nisi in hac fide iustificati sunt sancti Dei homines; posteaquàm autem hoc accipimus à Christo, ut peccatores remissionem peccatorum simus assequuti; & facti filij Dei, consequens est, ut ambulemus digne Deo; ut si spiritu uiuimus, spiritu et ambulemus: ut iustitię Dei seruiamus multo magis, quàm ante peccato fecerimus, aut certe non minus, ad Ro. 6. ut renouemur, ad Rom. 12. & in hoc nobis Christum et spiritum ipsius debemus aduocare, quo refecti sentiamus iugum suaue & onus leue, inuenta requie animabus nostris Matt. 11: In hoc debemus fidem exercere; nam si illa fuerit adulta absque ullo labore maxima Christi munera obibimus: sumemus enim pennas ut aquilæ etc. Es. 40. & fides his operibus detegi-

tur,

tur, & non verbis tantum Iac. 2. non enim ualet fides ociosa, sed quæ per charitatē operatur ad Gal. 5.

Hæc autem cum audiuntur, & (vt sunt) videntur iustissima: incipiunt nonnulli desperare de se ipsis, & sua salute; atq; vtinam ita desperarent de se ipsis: vt totos sese crederent Deo. Videntes ergo nulla talia opera sese habere, credunt se nullam habere Deo fidem, aut certe omnē amisisse fidem. His quoq; medendum est, nam non solum putant se fidem nullam habere, sed desperant se etiam vllam habituros: quia nunquam futurum vident, vt facturi sint opera digna Deo, & Christiana vocatione. Multi quoque ne vellent quidē dari sibi, ut talia opera vnquam facerent, vt qui oppressi sunt spinis: & aliud quiddam cogitant, dum cogitant regnum Dei, & iustitiam eius, seipsos probant & spernunt reliqua, ita vt etiam prædicationē effugiant, ne vt ipsi dicunt, multis scrupulis alligentur.

Docendi ergo sunt oēs, quanta benignitas sit Dei nostri erga nos: & quàm magnum malum sit peccatum, & non esse in filijs Dei, & quàm magnum bonum sit esse in illis, vt supra dicebamus in tit. de Christo. Ad hæc ostendēdum, quòd opera bona, quæ fiunt in fide diuinę bonitatis, etiam ante fidē in Christū disponunt nos, et idoneos faciunt ad Regnum Dei, vt habemus de Cornelio. Act. 10. Postq̄ aūt Chrm credimus opa Chrm apprehendunt: nā fides in Chrm cum nobis tam bonū ostendit, vt thesaurū inuenisse nos videamus, & præ gaudio illius eamus & venda

mus omnia Matt. 13. ita nos ipsos nostra cuncta illi credimus, & committimus & ita ipsum apprehendimus, qui iustitia nostra est, primę Cor. 1. quo apprehenso, rursus operibus exercemus: immo ipse nos exercet in nobis viuens ad Gal. 2. Ipse facit, vt faciamus. In hanc ergo spem docendi sunt homines vt operentur. Verbi gratia eramus frigidi, nihil nisi terrena cogitando: saltim incipiamus vel tenuiter, ammodo cogitare cælestia, sub spe bonitatis Dei nostri: qui sit subinde magis nobis sensum aperiturus. Itaq; inspiciamus ad Deum, & Christum suum, ad prædicationes & orationes, non a scrupulis timentes, sed à bonitate Dei sperantes. Orabamus sed oretenus tm̄ & voce, non corde, non dimittamus præces, sed illas in spem agamus bonitatis Dei nostri; erga nos, fore scilicet vt ipse aperiat nobis cor. Ieiunebamus, & alia quædam opera faciebamus a nostro capite petita; præceptis autem Dei, aut ecclesię eius non parebamus; & ita nos ipsos & sensum nostrum pręferebamus consilio & præceptis Dei; tamen incipiamus cogitare etiam in ipsis nostris voluisse nos Deū; colere, idq; putemus nobis inspiratum à Deo: cætera vero à nobis ipsis, & à demone esse inspirata. Quare incipiamus accusare arrogantiam nostram; opus autem si bonum per se est, retineamus in spem diuinæ bonitatis: qua fiat vt iam, iam multo magis præceptis & consiliis suis & ecclesiæ suæ pareamus.

Sumus tiranni, habemus res alienas: famam aliorum lęsimus, vlcti sumus, & vlctionem expetimus:

intricati

intricati sumus vel amore diuitiarum, vel honorum, vel voluptatum & formarum, neq; videmus exitum; ac ne speramus, aut etiam nolumus quidem; tamen in spem diuinæ bonitatis tẽpla frequentemus, & sacra; & prædicationes, & praeces, & eleemosinas quamuis minimas, faciamus; quia fieri põt vt Deus pro diuina bonitate, qui in omnem occasionẽ intentus est, vt nobis benefaciat: nos sensim ad maiora & meliora inspiret: atq; ita sensum mutet, vt noxia relinquamus: & apprehendamus sua. Saltem peccata nostra quotidie & agnoscamus & accusemus, & debitum nostrum fateamur: & Deum humiliter implo remus, & si incessabili delicto simus quoniam si hoc agimus possumus bene sperare, quòd Deus tandem aperiet nobis cor. Sed quia cũ sumus in peccatis grauioribus & consuetudinem in eis fecimus, incipimus nihil timere, & ita neq; agnoscimus: neque confitemur peccata nostra, neque debitum, amicis committenda res est. Itaq; prędicatores admoneant atque inculcent, vt cognati, amici, & sancti viri, orent pro talibus: & extorqueant ab his opera bona. Quia si pro eis eleemosinas fecerint, & orabunt poterunt; & talibus conuersionem impetrare. Itaq; sunt homines admonendi, etiam quòd non multũ, & ipsi in fide, & charitate profecerint, tamen quia sperare cœperunt, & sequi Christum volunt, vt ipsi orent pro sanctis, qui in terra sunt, vt perseuerẽt, & crescant, quo sibi, & alijs exemplo, & omni vita prodesse possint. Orent item, & pro peccatoribus etiam tali-

bus, cum vt sibi eadem mensura fiat, tum quia si peccatores conuertentur, magno ipsis, & aliis erunt adiumento. In omnibus ergo ne infirmetur uera fides, sed nutriatur: & falsa omnis arceatur, vnusquisque quod habet talentum exerceat. Nondum habes fidem, & spem, & charitatem, aut nondum exerces; & tamen times? exerce talentum timoris, & saltem ob timorem Dei operare; fidelis namque Dominus augebit; & fidem, & spem faciet tibi. Habes fidem, sed nondum charitatem in Deum, & proximum sentis, sed tantũ teipsum respicis, & tantum vt tu ipse saluus fias facis? Ora ad patrem cælestem, & ipsum solum præ oculis habe, & tibi reddet bonum desiderium pro salute etiam fratrum tuorum. Laboras? Labora tamen in spem, facile erit, quòd Deus aperiat tibi sensum; vt ipsum Deum respicias, & tandẽ digne labores: nam fidelis Dominus quod cæpit perficiet, prima Thess. 5. nec derelinquet sperantẽ in se, Iosue. 1.

Et huc etiam adduci possunt, quæ dicta sunt in tit. de Gratia, quòd seruimus Domino gratioso, qui bonorum nostrorum non eget, sed expetit à nobis opera bona: vt occasionem illi præbeamus nobis benefaciendi; nam cũ ipse operum nostrorũ non egeat, & possit quod velit, tanti facit opera nostra, quanti ipse vult, qui nos amat, non quanti ea sunt, vt nos tandem sibi similes reddat: qui operamur opera vere bona per ipsum, & in ipso.

Fides in regno Christi commendatur: nam à prin-

cipio mundi cœpimus peregrinari a Domino; Iccirco nūc fide sustentamur, in magnis tormentis animi versamur, aut certe obstupescimus, & efficimur insipientes, vt belluæ, putantes hoc esse regnum nostrum; neque vltra nobis progrediendum. Fides ergo habenda, atq; alenda, vt semper præsentem Deum intueamur, & semper ipsum venientem, & iam iam peruenientem cogitemus, nam infinitis aduersarijs potentissimisq;, & interioribus etiam incessanter impugnamur. Nutritur autem fides operibus bonis, quæ ex ipsa procedunt: confirmaturq; ijsdem, atq; augetur, Matt. 7. primæ Timoth. 3.

Ipsa verò aucta facit, vt operemur opera Deo digna, & absq; labore, immo etiam magna cum voluptate, vt dictum est sæpe: & exempla sanctorum ostendunt, ad Heb. 11. Ocium vero, & malum negocium perdunt fidem, Ioan. 15. primæ Timoth. 1. Matt. 3 infructuosæ arbores reciduntur, quia digni sumus, vt auferatur nobis talentum fidei, & gratiæ Dei, quod datum est nobis ad vitanda peccata, & ad Christum imitandum, vbi nos id ociosum habemus: & alijs rebus vacamus, neque excusat nos falsa fides, qua credebamus nos benefacere si talentū abscōdebamus, vt integrum seruaremus, Matt. 25. nam multi contegunt fidem suam, & nolunt in apertum prodire, ne impugnentur: aut male audiant ab his, qui persequuntur eos, qui Christi sunt, quos si nihil aliud saltem hypocritas vocant; at Deus accendit lucernam non vt ponat eam sub modio, sed super

cādelabrũ, Matt. 5. et nõ vult vt quisquã erubescat cõfiteri se in generatione ista praua, Matt. 8. in fi. Lucæ 9. neque vult vt quisquam plus timeat à propria fragilitate, & ab aduersariorũ impugnatione, quàm speret à diuino presidio, quomodo enim Deus presidiũ nostrũ erit, si in hac re non putamus eũ laturũ auxiliũ? an semper nos vult ascõditos, tanquã Dominum erubescendũ habeamus, aut ipse nos erubescat? an nõ infima mũdi vocauit, vt confundat magna. 1. Cor. 1.

Docendi ergo sunt homines, vt in omni cogitatione & opere fidem in Deum exerceant, vt ita illa per Deum augeatur; & regnet: nam fides in omnibus operibus nostris esse debet; vt si accedo ad baptismum, accedam cũ fide, vt per gratiam Dei mecum fiat id, quod baptismus designat. Sic de reliquis sacramentis, & breuiter siue manducamus, siue bibimus, siue quid aliud facimus oĩa in gloriam Dei, & in nomine Iesu Christi faciamus, prim. Cor. 10. ad Coloss. 3. fidentes omnia illa Deo placere, & Deũ nostrum etiam per hæc nobis prospicere, & suum honorem ducere etiam cum nostra cogitamus: quando in gloriam eius illa cogitamus. Hoc autem fiet, Verbi gratia, vt cum manduco, non mihi manducem, sed Deo, dicens in corde meo, Ego sum Christi palmes, ego sum filius Dei, emptus Christi sanguine ipsi Deo; non sum meus, pascendus sum Deo, non mihi, vt illi seruiam, qui non modo creauit me, sed redemit me precio inextimabili; & ita de reliquis. Quare cum nobis in mentem venit facere, quæ Deo non placent,

aut quæ dubitamus, an placitura sint Deo, dicamus nos illa facere nō modo non debere, sed ne posse quidem, ac indigna eße, quæ à nobis cogitentur, ne dum vt fiant, quia non sumus nostri, sed Dei.

Sic item, & multo magis cum operamur illa; in quibus ipse Deus specialiter precium statuit: vt facite eleemosinas, & oīa munda sunt vobis, Lucæ 11. Dimittite & dimittemini, date & dabitur vobis, Matt. 5. & 6. & 7. Petite & accipietis, petite in nomine meo, Ioan. 14. 15. & 16.

Dicamus in corde nostro. En serui inutiles sumus: nihil facere poßumus boni, qui etiā si omnia facere bona valeremus, nunquam tamen tāta esse possent, vt non multo maiora debeamus Deo nostro, & tamen Deus noster nobiscum paciscitur, & precium facit operibus nostris, Verax est Deus noster, dabit quia promisit, bonus est Deus noster, & sponte hāc fecit promissionem, cum nosset figmentum nostrum: non ergo morose expendet opera nostra: sed boni consulet: etiā ipse supplebit, & perficiet, vt causam habere videatur dandi nobis quæ promisit: vt honestiores nos reddat, & aptiores ad suscipienda subinde maiora numera sua: quo nos innouet: & se dignos efficiat: & nos ista quæ promisisti volumus optime pater: nam precium eorū pro nobis tibi persoluit filius tuus, vt non respiceres ad imperfectum, & malum operum nostrorum: sed ad bonum promissionis tuæ: & charitatem filij tui, qua pro nobis est passus: vt non modo remittere nobis gratia

peccata, sed imperfectiones, & conatus imperfecti non imputarentur, sed exciperentur, vt à rudibus filiolis prima elementa cum reddunt præceptoribus beneuolentibus: & nos munera ista volumus, nam his nos indigere docuisti; vt his te magis honoremus, ne si minora velimus, minus tibi honoris facere voluisse videamur. Volumus item hæc dona tua; quia his quoque pro fratribus nostris indigemus, quibus profectum æque ac nobis optamus, aut certe optare debemus. Et ita his, & aliis rationibus docendi sunt homines fidem suam nutrire, & deterrendi à mala illa fide, quę dicit; operemur mala, vt eueniant bona, peccemus, vt gratia abundet: quorum damnatio iusta est, ad Rom. 2. & 5. & 6. quasi Deus in abundantia peccatorum abundantiam gratiæ protulerit ad peccandum, & non ad amputanda peccata, & ad deterrendum à peccatis, & ad animandum ad opera iustitiæ suæ.

Sic, Verbi gratia, si quis me læserit, nõ respondebo, sed efficiar, ut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: vt qui sperem in Domino, Psal. 37. Respondebo ergo tantum, quantum mihi Deus commiserit. Cõmisit autem mihi, ne obliuiscar, sed amem, & bene ei faciam, Matt. 5. & inter alia beneficia vult, vt corripiã, & increpẽ eũ, Matt. 18. Lucæ 17. vt sic respondeam, & non respondeam stulto, vt Prou. 26. ne scilicet si aliter facerẽ, si indulxero dolori meo, fiat vt protectionem: quam Deus de me sumpsit, qui sollicitus est mei, ipse mihi eam su-

mam,

mam, & ita protectorem meum Deum amittens, meipsum constituam protectorem mei ipsius, pessimo quidem consilio, & pernicioso. Itaq; fides exercenda est, vt tacere faciam carnem meam, & arrogantiam meam, & loquar ex præscripto Christi, ne dum volo argutus, aut potẽs videri, amittam sapientiam, & potestatem Dei mei, qui sollicitus est propter me; cum illi causam meam committo, qui mihi causam offensoris mei commisit, vt qui peccatum me lædentis melius quàm alius quisquam inspiciam. Exercebo quoque in hoc fidem, dicens vt Iob. 1. & 2. Reg. 16. Dauid dicebat, immisit hunc mihi, ut humilẽ me reddat, vtq; item patientia mea hunc ad Dominũ conuertam; nam ad hoc, vt oues in medio luporum sumus missi, vt testimonium præbeamus gratiæ Dei, & videant homines quanta in pace custodiat suos Deus, & quàm differat pax mundi a pace Dei.

Item in fide viuentes meminerimus non debere nos facere precia operibus, aut virtutibus; sed standum nobis esse præcijs: quæ facta sunt a Domino: vt ei credere, & non nobis videantur, verbi gratia, dicit ille; si quis cum veste alicuius sancti, puta Francisci, aut Dominici, decedat, saluus erit. Si quis peregrinatus Ierusalem inuiserit. Si quis Rosarium, aut coronam; aut alias quasdam prçces recitauerit, hoc & hoc habebit, & saluus erit: huic respondendum est, quis tibi dixit, hoc precium esse talibus operibus? an Deus remisit de lege sua, & si talia fecerimus absoluit nos à prçceptis suis? Ita interrogatus respon-

dere cogetur, nihil tale se dicere, neque enim possumus vllis operibus nostris liberare nos ab obedientia, quam debemus Deo; sed dicit hæc fieri, vt per ea magis idonei reddamur ad obseruantiam mandatorum Dei. vt quia induor veste eius sancti, honore memoriam sancti. Atque ideo facio rem gratam Deo, qui dixit; Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ita fieri potest, vt hac humilitate, & bona voluntate honorandi sancti Dei: & præcibus etiam sancti illius, fiat, vt mihi impetretur pęnitentia a malo, & conuersio ad Deum. Sic etiam & peregrinatione illa; quia per eam, & Christi memoriam, & sanctorum suorum honorē, mea qualicunque prę̨sentia: nam tanti sum, quanti me Deus fecit: qui me redemit sanguine filij sui. Modo ergo peregrinatio non impediat me à pręceptis Dei; ne scilicet reliquā eos, quos mihi Deus commisit. Item, vt tota via sic incedam, vt & testari velle uidear gratiam Dei: & nemini scandalo esse, vtilis mihi erit, & Deo grata peregrinatio mea. Sic & præcibus illis assuescam diuinæ contemplationi, sperans non in multiloquio exaudiri, sed verbis illis instrui, & moueri ad Deū, & diuina bonitate exaudiri, quandoquidem per eas Dei nomen inuoco, atque hic inspiciendę sunt formulæ pręcationum, ne quid absurdi, aut indignum Christiano contineant. Vtque per eas nitamur, mentem erigere ad Deum. Precia ergo operibus non facimus, ne in fide falsa versemur; sed facta à Domino precia quęrimus: vt sic in fide viuamus. Nam Dominus

nus Deus noster vult, non modo sibi seruiamus, vt Creatori & Domino: id quod etiam non Christiani debent; sed vult, vt ei seruiamus tanquam remuneratori, ad Heb. 11. alioqui nō haberet nos pro ijs, qui fidem suam sequantur. Et adhuc vult, vt sibi seruiamus: vt qui velimus habere id, quod ipse nobis permittitur, ne spernere videamur: aut dona sua, aut promissa, aut consilium, quo nobiscum vtitur, promittens hoc, & illud nobis. Quare magnopere Deum honoramus, cum sectamur precia operū, quæ ipse promisit; præsertim cū illa nobis lucratus sit filius suus: quem in mundum misit, vt honoretur ab omnibus, Ioan. 5. Itaque, vt honoremus filium Dei, debemus promissa eius sequi, & non operari tantum, & naturaliter debitores: id quod eramus etiam ante Christi aduentum, & sunt etiam qui Christum non agnoscūt: similiter debitores. promiserit

Et quoniam in hoc aliqui dicunt: non esse ita seruiendum, ne mercenarij simus. atque ideo & inutiles: placandi sunt, eo quod iam diximus: non christianos modo, sed omnes Deo seruire debere, etiamsi ex eo nihil essent habituri. Quare cum pretia operum nostrorum quærimus, non quærimus, quia non debeamus gratis Deo seruire; sed quia, vt nunc diximus, ipse vult, vt sequamur fidem promissionum suarum: vtq; fateamur nos his inuitamentis indigere: vt qui fragiles, his quoque alleuandi, & sustentandi simus, & quoniam his quoque donis nobis opus est: ut subinde magis attollamur ad dignitatem Dei nostri, & ad-

credendum perfectissime quòd præsentem ipsum, & munerantem habemus.

Sed dicunt; quis est qui sic obediat Deo, ut non plura simul peccet? quare debitor potius est quàm creditor promissionum, præsertim, cum ne bona quidē opera benefaciamus, & benefacta non nostra sint, sed Dei nostri, qui in nobis operatur. Quibus est respondendum: hoc etiam & nos scire; nam apertum est, ac confessum, hoc in ecclesia Christi, Ac propterea dicimus: & dimitte nobis debita nostra. quia ergo ipse Deus remittit nobis peccata nostra, & non imputat nobis imperfectum nostrum, & quia quæ sua sunt opera bona, cum ipse eis non indigeat, donat nobis, ut causam habeat donandi etiam premia, quæ promisit: iccirco fideliter hoc speramus. Facimus ergo operà bona sic: ut ueniam petamus erratorum nostrorum: utq; bona non nostra: sed Dei nobis donentur; ut sic nostra fiāt, per quæ rursus petamus, ac speremus præmia illis promissa. bona ergo propterea sunt, quia Deus operatus est ea in nobis; uel ipse facit, ut nos illa operaremur, & nostra sunt, quia donat ea nobis Deus, & sic etiam donat, ut possimus eis etiam ad fratrum nostrorum utilitatem uti: ac participes alios facere nostrorum bonorum operum, quæ Deus nobis donauit; neque enim metus est, dum ea fratribus participamus, ne nobis minora fiant, cum maiora magis fiant, quo pluribus seruiunt, charitas enim, ut ignis, quo in plures accenditur, hoc fit maior, neque itē metus est, ne nobis plura, quàm nobis necesse sit, habere

re

re uideamur; cum sciamus hæc nobis dono contingere: & quòd dando multiplicamus, non minuimus dona: ut panes in Christi manibus positi, & ab eo nobis dati ad distribuendum quàm pluribus. Et ostendimus quanti facimus dona Dei, cum illa, & nobis, & alijs, prodesse posse confitemur. sicut ergo arguenda est arrogantia eorum, qui sibi in operibus suis placent: neq; in eis gratiam Dei agnoscunt: ita commendanda est fides, & liberalitas eorum, qui gratiã Dei agnoscunt, & suam absque illa non fragilitatem modo: sed etiã iniquitatem, & in eo, quod ipsis donatum est à domino, exercent liberalitatem, ut communicent omnibus qui & ipsi communicent alijs.

Et hæc, quæ diximus, non modo in operibus, quæ facimus fidem Dei sequentes, sed etiam in operibus: quæ facimus absque hac fide, consideranda sunt: ut scilicet postea quã praeces, aut eleemosinas; aut quoduis aliud diuinæ iustitiæ opus fecimus absque respectu Dei; aut etiam ob aliud, aut neglectim & sine mente recordati; agamus pœnitentiam, quod non in fide diuinæ promissionis, & pro gloria Dei simus id operati. Non autẽ peniteat nos operis, sed probemus opus, oremusq́; Deum nostrum, ut ipse remittat nobis peccatum nostrum: & opus illud iam nunc probet, & nobis donet, nam sæpe Deus facit, nos facere, quamuis nos aliam causam sequamur, nescientes consilium Dei. Potest ipse mortuos uiuificare; ita potest & hæc opera ad uitam ducere. Animandi ergo sunt homines ad bene operandum, quando in fide operantes pe-

tere debent, remitti sibi peccata, & donari opera bona pro se, atque alijs, & pro tota ecclesia: & præsertim pro charis suis, & deterrendi à peccato: quoniam in eo nullum est lucrum, & si maxime remittatur.

Et ex operibus bonis concipere spē meliorem debemus, uidētes enim Deum fecisse, ut hactenus hæc, & illa fecerimus, fidere possumus, fore, ut maiora etiam in nobis operetur; præsertim posteaquàm declarauit nobis uiuendum esse in fide, suæ erga nos bonitatis, et fidelitatis, qui quod cœpit, præficiet.

Et cum operibus bonis obrepit nobis aliqua sinistra cogitatio, putemus adesse Deum, qui uoce magna nos deterreat, dicens; Ne habeatis Deos alienos corā me. Ego sum dominus Deus uester fortis, Zelotes, propter me & in spem meam, non in aliorum respectum hæc operamini, ne faciatis uobis Deos alienos: ne ego fortis & Zelans percutiam uos, & ibi statim ipsum oremus, ut fortis, & Zelotes, ut est, percutiat Deos alienos, & auertat eos à mente nostra, & se ipsum nobis præsentet operum & muneratorem & ducem.

Non ergo deterreamur ab ijs, qui propter peccata nostra, & quia nunquam facere possumus plusquàm debeamus, dicunt: nos nihil mereri. Sed eis respondeamus: nos non propter iustitiam nostram; aut quòd omnia perfectè operatos nos arbitremur, dicere, meritū sequi, aut habere: sed propter fidē, ea enim ad iustitiam reputatur. Nam scriptum est, omnis qui inuocauerit nomen suum, saluus erit, qua fide fiant, ut non modo nobis ipsa iustitia infundatur, sed etiam

domini

opera

opera per eam facta, etiam non perfecta poßint à diuina benignitate perfici, aut pro perfectis acceptari. Quare, si alicui dixeris: quamobrem petens ueniam peccatorum, et salutem, obtineat, & quo merito suo? respondebitur: nullo, nisi fide: eam sibi dicet ad iustitiam reputari; ut petens salutem, dignus sit qui audiatur; cum alioqui supplicium mereretur, & ita Lucæ 17 dixit dominus: cum omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus: ut scilicet non ex meritis, sed ex fide Dei salutem petatis, & uobis fides ad iustitiã reputetur, credite quòd fiãt quæ petitis, & fient Mar. 11. Vbi uides quòd fides est pro merito, ex fide ergo petimus opera bona: quę Deus operatus est in nobis, ut ea nobis ipse donet, & donabit, quia fides ad iustitiam reputatur, ad Rom. 4. ad iustitiam scilicet, ut iusta sit, & exaudiri digna oratio nostra, qua petimus, ut peccata nostra nobis remittantur, & bona opera, quæ Dei sunt, nobis donentur: ita ut etiam ea cũ alijs participare poßimus; quia sicut facit Christus, ita nos Christi membra facere debemus, ipse dat alijs sua, & uult nos ut similiter faciamus: neque propterea fidẽ reprobamus, qua premium, allegatis bonis operibus, petimus: ut Ezechias fideliter fecit Esa. 38. nam & id ex fide facimus. Qua credimus in Deo esse facta, et nobis ab ipso donata; & iccirco ipsum Deum uelle nos ex illis ab se premium expectare.

Animandi etiam sumus à contrario: vt si verbi causa, fuissem in templo idolorum, & ibi adorassem; quãuis sine corde, & absque mente, & amore, ta-

men mihi in peccatum imputaretur. cur non habeat boni aliquid, cum adoro ad templum Dei, etiam quod neglectim agā? etsi enim negligentia in culpa est, tamen aliquid sequutus, templum accessi, & Deus honoratus est præsentia mea ad aliorum salutem; fassus certe sum mea præsentia bonum. & iustum esse adorare Deum: itaque accusabo peccatum meum, & petam, vt est dictum, id quod est Dei. nam Dei me respectus ad templum duxit. si autem malo respectu adductus, & ibi quoque irrideo sacra, debeo de omnibus ueniam petere; præsertim si scandalo cuiq; fuerim, qui cognouerit mentem meam.

Docendi sunt homines, fide non ociosa, sed operosa eos iustificari, & saluari, ad Gal. 5. ad Rom. 10. Cum autem fides per charitatem operetur, ad Gal. 5. et charitas malū non operetur ad Ro. 13. 1. Cor. 13. immo sit finis præcepti charitas, 1. Timot. 1. Et uinculum perfectionis, Coloss. 3. Sequitur quòd ex fide operanda sunt opera bona, & non mala: & ita fidelis dicitur, qui seruat, quod debet, & quod iussum est: vt Matt. 25. serue bonæ, & fidelis, Sic, & qui seruat quod promisit. Fideles ergo sumus, si quæ, & natura debemus, vt Dei creaturæ, & quæ in baptismo promisimus, seruemus: alioqui infideles, & mali.

Si item sic loquamur, & operemur, vt credimus, vt Psal. 115. & 2. Cor. 4. ideo ex operibus ostenditur, quid quisque credat, ut cum factis quis Deum negat, ad Tit. 2. Iaco. 2. & quod supra dicebamus de ijs, qui sese dicunt filios Dei, et uiuunt ut filij diaboli.

Fide

Fide item viuimus, cum credimus quæ nobis dicta sunt à Domino: & promissa eius expectantes, operamur in spem promissorũ eius: ut proxime diximus.

Ex fide item viuimus, cum ex charitate, & non ex lege operamur, ad Gal. 5. Idest non operamur tantum, quia ita præceptum sit; sed operamur, quia diligimus Deum, & proximum: pręceptumq́; nobis, non pro lege (vt proprie accipitur lex) sed pro admonitore, & declaratore voluntatis Dei nostri, seruit nobis. Si autem non ex charitate operamur, iam sub lege sumus, vt paruuli sub tutoribus & actoribus, Gal. 4. quia scilicet Christus non credit sese nobis non diligentibus se, Ioan. 2. Matth. 10. Itaque ne simus semper paruuli, et ne circunferamur omni uento doctrinæ, apprehendendus est summa charitate Christus, ad Eph. 4. Et obseruãdi ministri eius, qui in hoc seruiunt nobis, vt forment Christum in nobis, quo ipse Christus habitet & viuat in nobis, ad Gal. 2. Eph. 3. Docendi sunt item omnes homines, exercere fidem in diuitijs, & paupertate; in prosperis, atque aduersis: vt semper ad Deum respiciant, & omnia ex illo fluere, & nihil temere euenire: sed ipsum sollicitum esse pro nobis; & specialiter in Simbolo, & in eo, quòd credimus, Deum omnipotentem: & quòd in ipso confidimus: Nam magnus fiducie campus in eo, quòd est omnipotens: in eo item, quòd ita dilexit mundum, vt miserit, et dederit filium suum vnigenitum, vt omnis, qui credit in eum, non pereat. Quòd mortuus sit filius eius propter peccata nostra:

Quòd resurrexerit propter iustificationem nostram, ad Rom.4.in fi. Quòd in cælum ascenderit, & miserit dona hominibus: Quòd venturus est iudicare viuos, & mortuos. Ex his, quid non speremus? & cum sanctus sit, & rectus iudex, certi esse debemus quòd iustos nos esse vult, & rectè viuere; vt poßit in iudicio coronare, & non cogatur damnare. Itaque nobis metuendum est à flagello ipsius, ni cito rescipiscimus. Porrò sperandus est à nobis spiritus sanctus, & auxilium per sanctam et sanctificatam ecclesiam, & communionem sanctorum: & quòd remittit nobis peccata, & quòd vitam dabit æternam. hæc enim fides, & timorem, & amorem, gignit & alit, & quæ accipit à Domino, auget. Itaque & specialiter suo loco simbolum declarandum est, & in omni prædicatione, aliqua fidei practica ex particula, quæ ad prædicationem illam facit, ostendenda est.

Sed tractari debere de fide omnibus in rebus, oportet. Nam est anima operum omnium. Itaque non modo cum Simbolum fidei explicatur; sed cum quæcunque doctrina tractatur, omnia vt in fide fiant, docendum: nam etiã est cũ cor nõ habemus, sed distracti sumus: tamen opera bona consueta ne omittamus, fidentes fore vt Christus suppleat: & ipsum facturum, ut cor aliquando purum habeamus, & fides sit firmior, qua corda mundantur, quæ Deum vident. De oratione autem fidei vide in Tit. de Lege, & Euangelio.

Ergo quandoquidem bona opera, vt sunt Chri-

stianorum

ſtianorum ſunt dona Dei, et nos neſciamus quid agamus, vt ne quomodo quidem oremus, ſatis ſciamus, ad Rom. 8. primę Cor. 4. Et vereri debeamus omnia opera noſtra. Iob. 9. Docendi ſunt ij, qui bona opera videntur habere, ne ſuperbiant, ſed magis timeant peccata ſua: quoniam ſi opera vere christiana ſunt, Deus eſt qui illa per nos operatur. Atque ideo ab eo petenda ſunt, vt donentur nobis. nam ſæpe etiam in nobis quædam operatur pro alijs tantum. ſi autem non ſunt talia, oportet veniam petere: & propterea in omni opere debemus dicere: & dimitte nobis quod noſtrum eſt, & dona quod eſt tuum domine. aut ſi nihil hic tuum eſt; quia totum eſt malum, aut parum te dignum, emenda tu Domine totum, & da, vt recte, & te digne conuerſemur ad gloriam tuam, & vtilitatem noſtram, & proximorum, & ſimul bene ſperandum eſt, quia fides, qua oramus, ad iuſtitiam reputatur, vt digni ſcilicet ſimus, qui in hac parte exaudiamur: Nam hanc fidem Dominus nobis fecit, qui iuſsit, quòd peteremus iuſtitiam ſuam; & hoc eſt viuere in fide: vt ſub incerto actionum noſtrarum, immo ſub certo etiam imperfectionum noſtrarum, fide ſuſtentemur protectionis Dei: qui ſollicitus ſit pro nobis, ac proſius: propterea quod nemo ſcit, odio, an amore dignus ſit. credat quiſque per ſeipſum odio eſſe dignum, amore autem dignum propter Chriſtũ: ex fide poſſe eſſe. prorsus

Qui vero nondum habent opera bona: accuſent quotidie & ipſi peccata ſua; etiam hæc omiſsionis, &

simul petant iustitiam Dei, & non relinquant opera, quæ boni generis habētur, sed & ea sibi inspirata putent à Deo, tantūmodo in his accusent suam negligentiam, & aliquam incipiant diligentiam adhibere sub spe præsentis auxilij Dei, vt supra est dictū: vt scilicet contendant fide, vt Deus vincat in bono malum: & faciat eos bene agere, & suppleat quæ desunt.

Postremo propter eos, qui vetera contentionum semina reducunt: & cum de gratia Dei, de Euangelio, de fide, & charitate tractatur, ita opponunt: Sine gratia Dei nihil agimus. Non ergo opus est, vt nos quisquam admoneat, aut vrgeat. cum gratia vero faciemus absque admonitore; quoniam effectus gratiæ sunt, mutatio vitæ; conuersio ad Deum; vita spiritualis: vnio cum Deo: & omnia bona.

Quibus à Doctoribus respondetur, quòd fide & operibus de congruo meremur gratiam, & hoc: licet ipsi derideant; negare tamen non possunt. Nam is Deus, qui gratis nos ad gratiam vocat, vult, vt ab ipso eam quæramus, & petamus; et se daturum promittit. ita quàmuis gratiā mereri nō valeamus; quia alioqui non esset gratia, ad Rom. 11. tamen eam fide per inuocationem & petitionem impetramus: vt cū dico. Deus propitius esto mihi peccatori. Lucæ. 18. Matt. 18. non mereor quidem gratiam & remissionem, sed mereor pœnam: neque petitio facit, ut minus pœna mihi debeatur; sed impetro propter bonitatem Dei erga nos, & petitionem meam iustificat fides:

Nam

Nam fides mihi ad iustitiam reputatur, vt propter fidem dignus habear, cuius oratio exaudiatur, & iustitia doner. Ita impetro gratiam iustificantem, non absque gratia gratis data; idest non absque fide, quæ donum Dei est, & gratis fit nobis à Deo, ad Eph. 2.

Rursus opponunt sic. Sine fide impossibile est placere Deo, ad Heb. 11. Fides autem sine operibus nihil valet, ad Gal. 5. Iaco. 2. Sed mortua est. ergo vbi opera digna Deo non habemus: fidem quoque non habemus. nihil ergo attinet, vt quis nos hortetur, aut urgeat ad orandum, aut ad alia bona opera facienda; quandoquidem, cum sine fide simus, non possumus Deo placere: sumus autem sine fide; quia adhuc nihil talium operum fecimus. nam si fides adesset, opera faceret, quę indicarent fidem. nam ipsa suos fructus habet, nec potest esse absque operibus.

Similiter, & de charitate dicunt: Absque charitate nihil sumus. 1. Cor. 13. si adsit charitas, magna operatur. nam si renuit operari, charitas non est. vt diuus Gregorius dicit. Si charitatem haberemus, illa nos operari faceret: quia vero charitatem non habemus, nihil est, vt operemur; quandoquidē etiam maxima opera nihil sunt, cum sunt absque charitate. 1. Cor. 13. Quibus respondendum est: fidem, & charitatem esse Dei dona; & habere suos effectus: vbi impeditæ non fuerint. nam ad hoc eas nobis Deus donat per gratiam, vt fructum ex ipsis, et non ex carne nostra faciamus. Si ergo nulla fidem haberemus: nihil prorsus operaremus, quod placeat Deo. Ve-

tuntamen, quia ex dono Dei fidem habemus: sed eã impedimus, spinis, & carne, quæ resistit spiritui. Mat. 13. ad Gal. 5. Deus dedit Apostolos, Doctores, & alios, ad Eph. 4. Ad hoc, ut carni resistamus, eãq; spiritu mortificemus: ut fides minus impediatur, vtq; fidei pareamus: quę nobis & timendum & amandũ colendumq; Deum, ostendit, & ab ipso sperandum; atque ideo ab eo petendum, docet, quæ ipse mandauit. mandauit autem vt quęramus regnum Dei, & iustitiam eius: vtq; spiritum bonum petamus, in quo charitas, & omnia. Matt. 6. & 7. Luc. 11. Prædicator ergo qui nos hortatur ad petendum à Deo charitatem fide, non facit nobis fidem, sed adiuuat eam, quam Deus nobis facit, vt fidei obediamus, et fructificemus per ipsam Deo, neque valet quod opponunt: si fides adesset, extarent opera. nam vera fides operatur in nobis, & timorem, et amorem; & hortatur nos ad orandum, et operandum; sed quia caro nostra repugnat, fidei non obedimus. At, dicunt: fides est donum Dei: Ideoq; fortior carne nostra; si adesset, faceret nos operari vel inuita carne. sed hoc, quod dicunt, vanũ est. Nam si Deus spiritum non ad mensuram daret, & ita fidem, quæ spiritus fructus est, nobis omnibus de principio summam faceret, nõ opus fuisset pastoribus, & prædicatoribus, & tot remedijs, quæ ipse instituit, vt donis suis pareamus. Admonendi ergo sunt, vt fidem nutriant; carnem mortificent, ad hoc, vt non caro, cui debitores non sumus, ad Rom. 8. & ex qua non nisi corruptionem metere

possumus

possumus, ad Gal.6. Sed fides regnet in nobis, ex qua pax fit animabus nostris, ad Ro.5. Nam si fides adoleuerit, firmaq; fuerit, omnia nobis erunt possibilia. Mar.9. Omnia impetrabimus. Ioan.15. Atque ita, & charitatem, & regnum Dei, & iustitiam eius impetrabimus. Matt.6. & 7. & curremus viam Domini absque defatigatione. Es.40.

Pari quoque modo respondendum est ad id, quod dicunt de charitate: nam & charitas, vbi est, operatur, & magna quidem operatur, si ipsa magna sit: veruntamen, quia & ipsa impeditur à carne nostra, vrget nos Deus ad carnem mortificandã, & ad exercenda opera charitatis, quam ipse nobis donauit per spiritum suum, ad Rom.5. Vt ita charitas exercita crescat, & regnet. nam verum est, si renuit operari charitas non est; non enim est charitas illa, quæ renuit operari opera Dei; sed est caro nostra, quæ volens operari opera sua, renuit operari opera charitatis, & impedit charitatem. Itaque homo, qui hoc videt, debet resistere carni, & obedire charitati, & ad hoc prædicatorum et exhortantium labor contendit; vt caro mortificetur, & charitas augeatur, quæ vt ignis accenditur: & ita omnia comprehendit: vt iam ventis tentationum non extinguatur, sed augeatur, & uehementior fiat. Quia ergo de principio ob multã carnis viriditatem non multũ operatur; Vrget Deus per prædicatores, ne charitas repellatur, sed sinatur crescere, & ab ea impedimenta repellantur. Quòd caro autem resistat fidei, & charitati, apparet; quia re-

ſiſtit ſpiritui, cuius fructus ſunt fides, & charitas, ad Gal. 5. Et apparet ipſa re, cum tam multi modicæ fidei fuerint, etiam in apoſtolis. Prçterea reſpondendũ eſt, quòd cum ſumus abſque gratia, ſumus ſub lege: atque ideo operandum eſt, vt his eſt faciendum, qui ſub lege ſunt. primæ Timot. 1.

Item quia benefacere debemus, non ſolum cum præmium ex opere ſperamus, ſed etiam cum nihil ſperamus; cum ipſum benefacere per ſe magnum ſit bonum: & opera noſtra bona ſaltem alijs in exemplum valeant.

Item quodcunque talentum habemus, id exercendum à nobis eſt. Quare ſiue habeamus gratiam Dei: ſiue non habeamus, tamen etiam talentis naturæ carnem mortificare debemus, & Deum, qua parte poſſumus, colere in ſpem meliorem.

Et tamen, quia nonnulli obſtinate vrgent, dicentes: ſi Deus volet, ipſe faciet, vt faciamus: ſicut promiſit. Ezec. 36. nos promiſſa eius expectamus. Quibus reſpondendum eſt. Deũ ita facere, vt faciamus per paſtores & doctores ſuos. Hier. 23. Eze. 34. In eo, quod Dauid futurum in medio dicit, Matt. 16. primę Cor. 12. ad Eph. 4. Itaque niſi pareamus verbis, vtetur flagellis; quia caſtigat omnem filium, quẽ recipit, ad Heb. 12. ſcilicet vt impleat quod promiſit; vt auferat à nobis cor lapideũ, Ezec. 36. Nam his cõfringit duritiã cordis, vt Leuit. 26. 9. Ezec. 22.

Qui vero ſunt audaciores dicunt; ſeſe, neque fidem, neque ſpem, neque charitatem, neq; aliud quicquam

quam diuinæ gratiæ habere; quo prædicatores, & admonitores declinent, qui reddituri sunt Deo rationem; qui scit, quid eis donarit, vt in similibus dicit, Prou.16. Erue eos, &c.

Quare admonendi sunt, vt saltem paulatim incipiant resipiscere, & orent, & alia agant sub spe diuinæ bonitatis, quæ ipsos vocat, vt supra diximus in titulo de Iustificatione.

Hic dicunt: ergo gloriabimur in operibus nostris; quandoquidem opportet, vt nos obediamus vocanti, & trahenti, & non omnia ipse facit. Contra dicitur ad Rom.3. sed oro vos, quæ gloria nostra est, facere nos, quæ Deus facit nos facere? An non agere gratias Deo debemus, quòd fecit nos facere? An non hoc ipse pro mittit? quid enim aliud dicit, Ezec.36. q̃ faciam, vt faciatis. quoad ergo resistimus facienti, vt faciamus, eatenus vapulare possumus. Nam cor lapideum, vt est durum, non nisi maleo frangitur, vt auellatur. Verbum quidem Domini malleus est, quo lapides confringuntur, Hier.23. Et ignis combu rens, tamen & ministris, & tortoribus, & infirmitatibus vtitur, quas ut euadamus, admonemur a prę dicatoribus, & amicis, Deiq; suauibus ministris, qui sępius uerbum inculcant, ut illud etiam uelut gladius anceps penetret & peruincat, ad Heb.4. ne cogatur punire, & exemplum nos facere alijs incredulitatis, ad Heb.2.3.4.

Iis autẽ, qui dicunt: expectamus gratiam Dei, dicendum est: vbi nam eã expectent? an non melius

in operibus genere bonis expectabũt, quàm in malis? an non maxima ingruant in eos flagella, quos gratia Dei in contrarium occupatos inuenit, vt in conuersione Saulis apparet, Act. 9. et Iudeorum omniũ, qui conuersi sunt, & gentium quicunque ad primam vocem non venerunt? an non multi, quia inuitati recusarunt, aut excusarunt, ita sunt exclusi, vt nõ am plius sint inuitati, Lucæ 14. nõ gustabunt cęnã meã; & ij præcipue hac damnatione digni sunt, qui prodigentes dona Dei; & ociosa habentes, expectant maiora, vt quibus sordescant Dei dona; & vt qui velint ipsi esse Domini, quibus seruiat Deus: non qui ipsi seruiant Deo; vt qui præscribere velint Deo, quam mensurã donorum ipsis conferre debeat. Et non humiliter, & cum gratiarum actione accipere, quæ dantur, accipienda sunt, quæ dantur, & colenda, & cauendum non solum à malo, & à crapula, & ebrietate: sed etiam à curis huius seculi, ne repentina veniat dies illa: & vigilandum semper, atque orandũ, vt digni habeamur fugere omnia, quæ futura sunt; & stare ante filiũ hominis, Lucæ 21. etiã non modò recipienda quæ dantur, & colenda; sed multo etiam maiora, semper petenda, vt simus in gloriam Dei; neque quòd maiora non dentur, spernenda sunt à nobis, quæ dantur, sed his colendis donantis liberalitatẽ prouocare; vt neque procaces, neque ingrati; sed fidentes, ac bene sperantes de auctore nostro, & simus, & videamur.

DE LEGE, ET EVANGELIO.

CAP. X.

LEX *prout distinguitur ab Euangelio. nam Euangeliū quoque lex dicitur; sed prout ab Euangelio distinguitur, lata est nō ad iustificandum, non ad auferenda peccata; sed potius ad detegenda. itaque irritauit peccatū, vt abundantius appareret. Quare peccati virtus lex dicitur propter peccatum, ad Rom.3.5.et 7. primę Cor.15. ad Gal.3. & hoc quidem Deus fecit, vt homo, qui voluit esse vt Deus, Gen.3. videret quid posset, & quid hausisset ex arbore vetita: atque ita conclusus peccato, & infidelitate, tandem cum ipsius Deus misereretur, faciens fidem suæ erga ipsum benignitatis, apprehenderet eam, & relinqueret stolidā sapientiam suam, quam ex arbore vetita miser hausit. Itaque bona est lex, si quis ea legitime vtatur. Timoth.1. Nempe ad id, ad quod facta est, sed homines aliqui præsumptione proprię virtutis inflati sunt, vt putent sibi facillimum esse, legē seruare: & ij ita iudicant; quia nondum ad legem sese exercuerunt: aut quia legem putant nescio quid in speciem pulcrum, & nihil intus habens. Nam multi legem existimant esse, vt se ipsos primum diligāt, & corporis sui commoda*

quærant: hoc modo multi, sese iustificant in lege: & propterea ad iustitiam Dei nō perueniūt, ad Rom. 9. quia lege, nō ad inspiciendā peccata; sed ad seipsos iustificandos, vtuntur: & ex ea multa producunt ad defensionem iustitiæ suæ. Et aliqui ad iustitiam legis aliquousque perueniunt, & in ea sibi placent: quare nunquam euadunt ad dignitatem filiorum Dei, & quidem lex in eis officium suum non facit, sed sinit eos esse in pace, quia repulerūt diuinas inspirationes, quibus ad se digna incitabantur. Itaque sicut ij, qui eum in profundum venerint, contemnunt, & gaudent, cum malefecerint, Prou. 3. c. 18. quia naufragium fecerunt in fide, traditi sunt in reprobum sensum. Ita ij quoque similiter traditi sunt sensui suo, quem ex Adam traxerunt; & sibi ipsis placent, & pacem habent, neque curant, vt ambulent digne coram Deo.

At uero, qui legem uidēt, & ad eam examinant vitam suam, & conantur cor totum Deo præbere, & diligere proximos suos, & alia, quæ sunt legis Dei, vident horribilia sua peccata: & quòd in eis perstabunt, & quòd neque vlla spes est exeundi, etiā quod maxime velint vitam mutare, nam qui vitam mutare nolunt, neque legem volunt considerare, sed fugiunt, vt qua flagellentur conscientię ipsorum. Quisquis ergo ad legem se, vt debet, exercet, videt se inclusum peccato, & infidelitate, ad Gal. 3. ad Ro. 11. & nisi Euangelium succurreret, desperaret. sed Deus miseretur, & Euangelium ei ostendit: quo cer

tior

tior fiat peccata sua omnia posita esse in Christo, ac propterea Christum cruci affixum, Esai. 53. sed quoniam hoc non sufficeret, nisi daretur in reliquum facultas recte viuendi, ostenditur ei Christum resurrexisse à mortuis propter iustificationem nostram, ad Rom. 4. in fi. Et quòd ascendit in cælum: & quòd inde nobis dona, & spiritum misit: & quod consedere nos fecit in cælestibus: & quòd si credamus in ipsum, & nos ipsos ei credamus, nunquam nos derelinquet, sed implebit spiritu suo, & liberos à lege, & peccato, faciet seruire diuinæ iustitiæ, cum animarum pace, ac salute; quoniam iugum ipsius suaue sit, & onus leue, ob refectionis suę magnitudinem. Ita Euangelium est virtus Dei ad salutem omni credenti, ad Rom. 1. & est illa Dei lex sancta & immaculata, quæ cõuertit animas, & sapientiam pręstat paruulis, Psal. 18. Nam qui fide hoc apprehendit, habet potestatem, filiũ Dei fieri, Ioan. 1. ac relinquere se totum, & dare Christo: nihil enim iam est laboris, sed prę gaudio vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit, &c. Matt. 13. Atque ita nõ est sub lege, sed sub gratia: hoc autem carnales homines nõ intelligentes, dicunt ergo peccabimus, ad Ro. 6. quasi qui spiritũ Euangelij hauserint, & voluntatẽ peccandi habeant, & non potius bene agendi. qui sensit per legẽ quid sit peccatum, vidit multam in eo miseriam; & miserię multo maioris periculum, & optauit inde exitum, quia molestissimus status est peccati, his, in quos lex suum officium facit. Postquàm ergo per

Euangelium liber factus est à peccato, exultat, quia liber est à tanto malo, & non gestit sese iterum præcipitet in tantum malum, horretq; & erubescit, id quod ante voluptatē & bonum putabat; gustus sanus factus est, sapit illi iustitia, non iniustitia. is ergo liber est, quia seruit iustitiæ Dei, ad Rom. 6. Seruit omnibus in charitate. 1. Cor. 9. ut supra diximus in tit. de Libero Arbitrio, & ad Gal. 5. Et 1. Pet. 2. Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei oībus omnia facti, vt omnes lucrifaciatis.

Ante enim quàm veniat hic spiritus filiationis et iustitiæ: sumus tanquam paruuli sub tutoribus, & actoribus, ad Gal. 4. ibi vt pueris multa vidētur optima, & suauissima, quę adultis & senioribus stulta & erubescenda videntur. Sic istis, qui dicunt: peccabimus, ergo quia non sumus sub lege, videtur adhuc peccatum esse aliquid optabile, vt qui nondum Christi sensum acceperint, nec dum senserunt quàm magnum malum sit peccatum: licet id auditum habeant, & ratione interdum cogitauerint, sed nondū peruenit ad eos aculeus peccati, & consciētie tortor spiritus Dei, qui arguit nundum non modo de peccato, sed etiam de iustitia, & de iudicio, Ioan. 16. Legem enim spiritualem carnales nondum sunt experti; & sunt adhuc quodammodo sub lege, & si enim ceremoniali legi non sunt amplius subiecti, quæ per

aduentum

aduentum Christi remota est, vt non amplius sit praecepta; tamen eis posita reliqua est lex, vt his, qui nondum Euangelium hauserint: & qui nondũ vulnera legis senserint, & peccati malum, neque gustauerunt quàm suauis est Dominus, propter quos Deus praecipue fecit in ecclesia Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores, ut hos eueherent ad plenitudinẽ Christi, ad Eph. 4. Propter hos item, & qui maxime liberi sunt, faciunt sese omnium seruos, vt hos & illos lucrifaciant, & adducant ad gustum Iesu Christi, quo seipsos ei relinquant, & credant totos.

Illi autem, qui gustant Euangelium, quoad tales sunt, seipsos totos Christo commiserunt, & non peccant, sed fructificant: & Deus purgat eos, non reputans illis, quae nollent commissa. Ioan. 15. ad Rom. 7. & 8. Sed quoniam continua in pugna sumus: ij quoque, orant & solliciti sunt, & esuriunt, & sitiunt iustitiam, eo magis, quò plus eam gustant, nam vidẽt quàm magnus sit Dominus, cui seruiunt, vt neq; paruis, neque magnis operibus animi, aut corporis quicq; sese facere arbitrantur; & si sciant per Dei benignitatem & acceptationem multa sese facere, ijq; non modo, cum aliquid offendunt; sed etiam cum in cursu bonorum operum sunt, dicunt per se quisque cum Psal. 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me? quãdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diẽ? Vsquequo exaltabitur inimicus meus? &c. Et Deus Deus meus; cur me dereliquisti? ac si iam agnoscat

pugnam non esse suam, sed Dei, & à Domino esse pugnandum: & dicat cum Psal. 107.59. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in idumea? nonne tu Deus, qui repulisti nos: & non exibis Deus in virtutibus nostris? Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros: cur inquàm nos dereliquisti? tanquàm nos simus victuri mundum, et carnem, & Satanam: & non sis tu facturus hæc omnia? Tu ipse inq; qui nos reliquisti? in manus tuas cõmendamus, Vel extremum spiritum nostrum; quia non sumus nostri, sed sumus tui: Redemisti enim nos Deus veritatis. Quare habe nos commendatos: habe nos in regno & protectione tua: Fac vt te digne ambulemus: ne derelinquas nos nobis, aut vllis alijs, in quibus tu non sis; quandoquidem à te redempti sumus: qui Deus es veritatis: nec mentiri potes: quare non confundetur commendatio apud te nostra. Sic Dominus in cruce clamabat, vt qui se in membris suis in hac lucta relictum uidebat, ad hoc vt omnes clamaremus ad Deum, & speraremus in eo, facturos nos virtutem. Sed hoc, inq; tunc magis clamamus, cum plus gustamus, quàm bonum, & iustum sit seruire Deo nostro: Nam cum frigemus, & obruimur spinis seculi huius; frigide id clamamus; cum tunc maximè et vehementissime deberemus clamare: quia verè derelicti & in periculo sumus; sed ad momentum relinquit, vt videamus malum nostrum; & congreget nos misericordijs sempiternis.

ternis. Es.54. scilicet posteaquàm persensimus tormentum destitutionis illius: quod quidem, qui in peccatis degunt, nõ sentiunt: quia iustificant semetipsos, traditi in reprobum sensum: vt est iam dictum.

Lege ergo vti debemus, ad inspiciendum malum, & periculum nostrum: vt illa nobis pedagogus sit, ad Christum; Euangelium autem pro consolatione, & exhortatione ad bene agendum, & bene sperandum: & nunquàm deficiendum: quia nobiscum est Dominus.

Lex autem est litera & antiquorum & nouorum præceptorum: nam etiam Christi præcepta peccatũ detegunt, & vrgent nos ad inuocandum.

Euangelium autem est ipse spiritus, qui nobis annunciatur, & datur: per quem peccatorum remissionem & iustitiam accipimus, & gaudium, & pacem: Nam annunciatio illa de remißione peccatorum & gratia nihil valet, nisi in fide accipiat, ad Heb.4. Vnde Euangelium credenti est uirtus Dei ad salutem, ad Rom.1. Fides autem est donum Dei, & fructus spiritus, ad Gal.5. ad Eph.2.

Et de annunciatione Euangelij antiqua fuit quędam opinio, qua crederent, quòd quicunque crediderit in Christum, et baptizatus fuerit, ipsum nunquàm periturum esse, quia Deus nunquàm eum sinat decedere antequàm ipsum ad pœnitentiam reduxerit, si peccauerit. Alij, & plures tenuerunt (& hæc videtur communis opinio) seruari eos, qui perseuerauerint in fide vsque in finem, quia Deus, in hoc distinguat

euangelium à lege, quòd in euangelio detur gratia, & spiritus, quo impleri possint quæ præcipiuntur: in lege autem non datur iustitia, & gratia, & potestas implendi, quæ præcepta sint, sed sit tantum ad detegenda peccata, vt recurramus ad Euangelium.

Alij autem cœperunt dicere: ita quidem esse, vt tantũ qui perseuerauerint in fide, seruentur: uerumtamen Deum promisisse facturum se; ac curaturum, vt qui semel crediderint in Christum suum, nunquàm pereant: quia ipse eos sit custoditurus & facturus, vt perseuerent. atque ita illos credere; quia scilicet vocem agnoscant pastoris sui, qui eis hoc interius promittat: cæteri autem audiant conditionalem tantum; Ita quòd si perseuerauerint, seruandos: si non perseuerauerint, perdendos, dicunt; quia non habent promißionem puram, sed tantum conditionalem, vel post conditionalem; non habent illam promißionem, qua Christus eis dicat, se facturum, & curaturum, vt perseuerent. sed de certitudine salutis, supra in tit. de Prædestinatione.

*Et quidem hoc non nisi paruulis & amicis reuelat Matth.*11.*Lucæ* 10, *Ioan.*15. *Quare admonendi sunt homines, vt propius accedant ad Iesum, & ipsum id orent; & ex eius iussu item id orent à patre, vt scilicet digni sint euadere omnia ista, & stare ante filium hominis. Luc.*21. *Sic & oremus dari nobis spiritum bonum, vt ita roborati, audiamus dicentem: ne turbemur, sed pacem habeamus animabus nostris: quia neque mors, neque vita, separabit nos à cha-*

ritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, ad Rom. 5. & 8. Antequàm huc perueniamus non poſſumus hic pacem habere, & nunquàm poſſumus firmiter aſſeuerare nobis de ſalute noſtra: quia Deus noſter minatur nobis damnationem, & dicit: eſtote parati, quia qua hora non putatis, ueniet. hæc omnia dicit, vt deterreat nos à malo, vt nos ipſos totos ſibi committamus. Quare antequàm nos ipſos ei totos committamus, nunquàm ceſſabit nos deterrere, niſi in contrarium tendentes relinqueret, et in reprobum ſenſum traderet: tunc enim nihil amplius minaretur iam relictis. hoc dico, quia multi ſibi ipſis promittunt hanc ſalutem, antequam ſeſe dedant Chriſto, neque id agunt, quo ſe facilius Chriſto committant, ſed vt declinent flagellum minarum Dei, & ita maiore licentia abutuntur: quos ſi Deus amat, nō ſinet ante quieſcere, quàm iugum ſuum ſumant ſuper ſe. Matt. 11. & eos trahet inuitans, ad hanc quietem, & terroribus auertens eos à mundo: omnes enim illæ rationes malo nempe, Chriſtus paſſus eſt, & reſurrexit &c. faciet, non volet fruſtra ſe paſſum eſſe; nunquam dabunt quietem niſi ei, cui perſuaſerint vt ipſe quoque ſimilis velit Chriſto eſſe, & ſimiliter pati pro aliis, ſicut Chriſtus pro nobis paſſus eſt: tunc eum Chriſtus complectitur, & ſecurum faciet: non enim ad tormentum, ſed ad pacem animarum nos vocat, etiam in mediis corporalibus tentationibus atque tormentis. Hoc ergo eſt Euangelium, quanquàm apud multos Euangelium carnis prædicetur, vt dent libertatem car-

nis,pro ea,quæ spiritus est.Itaque gaudio magno exultant tanquàm thesauro inuento: sed si propius inspexeris non est gaudium in spiritu sancto, sed est gaudiũ in carne tantum: quia liberi sint ab obseruationibus Ecclesiæ, & ita separantes seipsos ostendunt, qui sint, ij presertim, qui primam votorum fidem irritã faciunt,quasi hæc sit libertas Christiana,non seruare, quę promiseris, etiam quòd pro charitate & amore Dei promiseris.

Quisquis ergo perseuerauerit in fide vsque in finẽ hic saluus erit: quia scilicet in fide perseuerare non possumus, nisi fidei obedientes operemur opera bona. Ioan. 15. Fidem autem perseuerandi vsque in finem in promissis Dei non habent, nisi qui cum audiunt diuinas promißiones,quibus nos ad sequẽdum se vocat, ire volunt post ipsum, vt Gen.28.non te deserã &c. Iosue 1. Ezech. 36. Qui vero detrectant, aut cunctantur,non habebunt hanc fidem: nam eis dicitur: si non feceritis,non habebitis partem mecum, & nemo vos seducat inanibus verbis: peccatores regnum Dei non poßidebunt, ad Eph.5. Et veniet repentina dies illa, &c. Matt.24. & 25. Qui vero his verbis non cõsentiunt, seipsos decipiũt, vt Deut.29.& Matt.7.

Et quidem de lege, quam quisque sibi fingat, vt seipsum iustificet, & resistat non modo prædicatoribus,et scripturę sacræ: sed etiam inspirationibus Dei, quibus homines arguuntur de peccato,de iustitia, & de iudicio,diximus in tit.de Iustificat.& in tit.de Fide, & operibus. Et quomodo contrafacere debeant,

accusando

accusando seipsos, & bene sperando, & Deum inuocando: vt si non cursim, vt debent, saltem sensim conentur innouari.

De Euangelio item diximus in tit. de Prædestinatione: quod quidā credunt, si se arbitrētur prædestinatos & saluos, non decipi; sed hoc quidem verum est, si credant auctore Deo, & non Satana, & carne sua; & quòd auctor Deus id credendi ijs est, qui dare se volunt Deo: nam cæteros deterret. Itaque, & si maxime velint id credere non possunt; quia Deus dicit, venturum se, qua hora non putant: & sic si credūt, sibi ipsis credunt non Deo.

Sed verum est, debere nos oēs ad certitudinem illam niti per charitatem, vt ibi diximus: quia alioqui fidei infirmitas imputabitur. Itaque etiam doctores nostri agnoscunt esse in ecclesia confirmatos, quosdā in gratia, qui perire non possint: ad hoc autem omnes contendere debemus, ne semper in periculo simus.

Prædicanda est ergo lex ex scriptura veteri, & noua, & per eam penetrandum est ad conscientias hominum, ut videant peccata sua, & iudicem Deum: vt terreantur, & conuertantur: & quidem si generaliter lex prædicetur, homines non aduertunt, neque sibi dictum putant; sed alios dessignāt, in quos dicatur: at vero si ad particularia descendatur, demptis nominibus proprijs, quisque sibi dictum intelligit.

Euangelium item prædicandum est, vt sit Euangelium, & non licentia, vt scilicet ex prædicatione legis appareat Euangelium: Et ex ipsamet lege fiat

euangelium. Cum prædicatur bonitas Dei nostri ergà nos, qui cum deberet sinere nos perire, volentes esse sicut Dij. Gen. 3. nō permisit, sed ad detegendam arrogantiam nostram; & quàm multa peccauerimus ipsum relinquentes, dignatus est ferre nobis legem, qua turpitudinem nostram videremus; & ad ipsum, qui solus mundare nos posset, recurreremus. Verum quia, & id pauci attendebant: Et per legem, vel iustificabantur ex proprio capite, vel peiores etiā aperte euadebant; & cum ipse iudicaturus sit orbem terrarum, neque permissurus sit, vt homines impunè ferant sua ipsorum peccata; promisit filium suū, quem iudicem constituit vniuersorum: & voluit, vt ante iudicij diem, esset aduocatus noster, & sacerdos, & hostia pro peccatis nostris, & rector noster; & qui solueret omnia pro nobis; & qui saluaret mundum; quo apparet quàm cupidus sit Deus noster absoluendi nos, & seruandi, & quàm nollet vllum condemnare. hoc ergo inculcandū est, nè quis in se spernat consilium Dei, sed complectatur hunc filium, et sese illi regendum præbeat. Nam qui, illi non credunt, qui eum spernunt, peribunt, vt Ioan. 3. & 12. citius præ illo spernamus omnia. Nam quod lucrum esse nobis potest, quod cum amissione animæ nostræ nobis futurū est? Matth. 16. de quo supra in tit. de Christo; non est enim in aliquo alio salus. Act. 4. neque quisquàm seipsum iustificare, aut seruare potest, cum proni ad malum simus. Gen. 8. nempè nati filij iræ, ad Eph. 2. Quare non est contemnendum auxilium, presertim tam

obuium

obuium, et tam bonum, quod nobis offert Deus noster in filio suo: neque tempus amittendum est, ne præterfluat, et fiamus incredulitatis exẽplum, ad Heb. 3. & 4. Sed potius redimamus tempus, quia dies mali sunt, & quia satis superque viximus secundum carnem; ex qua non nisi corruptionem metere possumus: seminemus in spiritu, neque deficiamus; nam tempore suo metemus, ad Gal. 6. Iesus noster pastor est, & seruator, & Deus, & aduocatus, & solutor pro nobis, et per nomina ipsius, Euangelium explicandum est, & ipse Dominus per omnia inuocandus, ut supra dictum est in tit. de Gratia Dei: nam illa est Euangelium, & dicendum est etiam in tit. de Sacramentis.

Ac vide, quid promittat nobis Deus; & quàm sit necessaria nobis sua promissio: promittit inscripturũ se, & legem suam cordibus nostris. Hier. 31. Et facturum vt faciamus, innouans nos. Ezec. 34. & 36. Atque ideo daturum nobis pastores secundum cor suum. Hier. 23. per quos ipse nos regat; nempè, quia in his spiritus Dei loquatur, et Christus pastor noster. Ioan. 10. 2. Cor. 5. & 13. ad nostram vtilitatem, vt nos adducat ad plenitudinem Christi, ad Eph. 4. Et vt perseueremus, daturum se promittit timorem suũ in corde nostro, ne ab ipso recedamus. Hier. 32.

Hæc omnia nobis necessaria tunc videmus, cum recordamur, quòd animum habentes ad Deum seruiendum expectabamus legem: quia sciremus quid agere deberemus, & per eam magis implicabamur, cum nec memoriæ quidem eam mandare valeremus, & cum

mandata quidem memoriæ in opere succurreret, cumq; etiam succurreret, non possemus eam seruare, atque etiam recusaremus eam seruare, ob repugnantiam carnis nostræ, & ob consuetudinem mundi huius, & mali principis eius. Nam antequàm laboremus, & intelligamus peccatum nostrum et periculum nostrũ: & in quam spem vocati simus ad has promissiones, quæ sunt Euangelium ipsum; mente non aduertimus: & ita non audimus vocantem & offerentem refectionem, & pacẽ animabus nostris. Matt. 11. Prædicator ergo, vt laboremus & fatigemur: atque ideo & vocem Christi audiamus, prædicatione & explicatione legis efficiat: qua nos obnoxios ostendet etiã quòd in baptismo nihil promisissemus. Nam nos creaturæ Dei, Deo seruire debemus. Simul etiam orabit prædicator, & docebit nos orare, vt Deus aperiat cor nostrum in lege sua. Nam multi, ut supra dictum est, ad hoc surdi sunt, neque vim legis sentiunt, & placẽt sibi ipsis: nobis autem, si per ministerium prædicatorum, vel alio modo aperiat Deus cor ad legem suam, aperte videbimus, quàm nobis necessariæ sint, promissiones suæ: & quàm magnum beneficium Dei sit erga nos, & quàm spernendum, quòd dignetur se nobis pastorem offerre, ac ne dubitemus de sua in nos dilectione ob peccata nostra, dedit filium suum pro illis; vt qui credit, non pereat, &c. Ioan. 3.

Sad inter alia, quæ in Euangelio prędicantur, illud vel præcipuum est, quod est scriptum & prædicatum: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus

erit,

erit, ad Rom. 10. Et hac parte Euangelij, qua continuo excitari ad inuocandum debebant, multi sibi ipsis blandiuntur, & in peccatis suis contabescunt, dicentes: quandocunque nomen Domini inuocauerimus, salui erimus: quis labor est dicere in fine vitæ; Deus propitius esto mihi peccatori, vt ita iustificati reuertamur in domum nostram, Lucæ 18. & ita loquuntur tanquam Euangelium ad hoc prædicatum sit in mundo, vt liberius peccaremus, quandoquidem statim vt volumus, possumus à peccatis liberari: et ita Deũ & Christum eius peccati ministrum facimus, contra, ac dicitur, ad Gal. 2.

His ergo respondendum est: quonam modo inuocabunt eum, in quem non crediderunt, ad Rom. 10. Dicent: credidimus; at cum tempus erit inuocandi, eritis absque fide. nã qui resistit bonæ conscientiæ, naufragium facit circa fidem, prime Timot. 1. & talentum aufertur otiosis. Matt. 25. Ita qui inuocabant Prou. 1. & 28. Quorum oratio execrabilis est, non erant in fide, sed in timore, vt sunt qui in manus inimicorum deuenerunt, quãuis neque amant inimicos illos, neque in ipsis confidant; tamen veniam orant adeo seipsos amant, sic, Macab. 9. Orabat Antiochus, & tunc metu & malo astrictus promittebat omnia, quasi Deus indigeret ipsius conuersione, et non potius vti vellet ipsius pœna ad gloriam suam, & terrorem aliorum: & hoc talibus eueniet, quia Dominus iam prædixit, vt essent parati: quia alioqui improuisus dies Domini adueniret, qui eos cum hipocritis separa-

ret in tenebras exteriores. Matt.24.& 25. Si autē dicant ſeſe credituros, quia ita confidant de Domini bonitate; fiducia ipſorum non habet, quo nitatur; nā verbum Domini contrarium eſt; ideoq; nitantur neceſſe eſt ſibi ipſis.

Præterea fac ita eſſe, vt dicunt certe toto tempore vitæ ſuæ nōn erunt ſalui, neque liberi; ſed erunt ſerui peccatorum ſuorum. Itaque multam partem ſalutis Euangelicæ amiſerunt, & ingrati fuerunt Deo Redemptori ſuo, & nocuerunt fratribus ſuis, & filijs, & charis ſuis exemplo malo ſuo.

Poſtremo hæc dicta ſunt, eorum, qui nō bene credunt, & forte non credunt ex inſpiratione diuina, ſed carnis, aut Satanæ: aut certe caro, & Satan ſuſcipiendum Euangelium in ruinam docuit eos. non enim hæc prima ſunt, quæ caro, & Satan corrumpant: ſic ille ratiocinabatur cum talētum abſcondebat, & tamen ratio illa non erat à Deo, ſed à carne. Itaq; illi ſua ratio excuſationem non attulit, ſed accuſationem. Nam conuictus eſt ex ore proprio. Et quòd ratio carnis hęc ſit, & non illuminati lumine Dei, conijci ex eo poteſt, quòd audiens hoc, qui inuocāuerit nomen Domini ſaluus erit, non intelligit ſe perditum, & in perditione eſſe, & indigere ſalutis; aut certe non ſentit quodnam malum ſit, & quàm ma[illegible] eſſe in perditione, et eſſe in peccatis: [illegible] delectetur, vt nolit pro ſalute præ[illegible] ſed ad eſtremum expectare velit, ne[illegible], quàm ingratus ſit Deo tam benigne vocanti,

vocanti, vt nunquã illi velit seruire. Itaque apparet quòd lex in ipso non egit suam pedagogiam ad Christum, & quòd per legem aculeos peccati non sentijt. Quare metus est, q̃ nõ inspiratio Dei, sed carnis sit, qua dicat se credere Euangelio; aut certe carnis, & Satanæ commentum est, vt excutiant ipsum à fide; sciunt enim, si fides ociosa fuerit, quòd durare non poterit, quia qui non facit verba Christi: & si maxime illa audiendo ædificat; tamen vt stultus super arenam, & non super lapidem. Proinde facile venientibus imbribus, & alijs, quæ necessario in uita veniunt. nam necesse est, vt eueniant scandala, cadet, & fiet ruina eius magna, Matt. 7. & 13.

Sed tamen etiam aduersus hęc omnia multi sibi ipsis placent, & dicunt in fine, sese pęnitentiã melius acturos, quàm in vita; quia tunc ipsa caro mortificata sit ob vitæ, & rerum præsentium desperationẽ, quæ illos à conuersione alienos faciebat. & cum dicimus id temporis eos non habituros fidem, & Deũ illos non vocaturum, quia toties vocati respuerint, dicunt à seipsis. Deum semper vocare, Deum stare semper ad ostium, & pulsare. Deũ semper gratiam afferre: semper fidem facere omnibus suæ placabilitatis: & quòd paratus sit semper suscipere ad pœnitentiã reuertẽtes: quia ipse nolit mortẽ peccatoris, sed magis, vt cõuertatur, & viuat, Ezec. 8. & 33.

Sed ij, præterquam quod ostendunt charam non sibi esse præsentem iustitiam, & salutem, qua sibi & proximis prosint; & Deo gloriam dent etiam salu-

tem æternam pro vili habent, quam tanto in periculo ponunt. Qui enim sciunt, an ipsi sint ex illis, quos Deus velit etiam ad extremum vocare, atque conuertere? cum tam multos perire permiserit in minoribus etiam peccatis? qui sciunt, an ipsi futuri sint in eodem, quo nunc sunt, aut sibi esse videntur, statu? nam etiam quòd eos tunc Deus similiter, vt nũc, vocet, & fidem eis faciat, quam nunc facit: tamen, quia ipsi peccato assueuerint, quòd homines, & rebelles, & refugas facit; fieri potest, vt tunc ipsi, vel verecundia, vel timore maiore non sint aurem adhibituri; sicut neque nunc adhibent, neque enim caro omnis morte, & terroribus mortis mortificatur. nam etiam in spiritibus est prauitas, & id temporis tentationes sunt maiores. Nam tales verisimiliter sunt vnicuique, quales omnibus erunt in diem iudicij, in quibus etiam electi, si fieri posset, seducerentur, Matt. 24. Præterea, quia etiam, & fortasse, ita vt dicunt à Domino diliguntur, ipse Dominus adhibebit celeriter flagellum cum horribili terrore mortis, & damnationis æternæ, vt celeriter eos conuertat: aut in aliqua ærumna, vel diuturna ægritudine, eaq; doloribus plena eos detinebit, ne sibi ipsis tã male consulãt.

Præterea uix est credendum eos, qui credant ita sese diligi à Deo, vt etiam cum contra voluntatem Dei non solum uixerint totam vitam suã; sed decreuerint ita viuere, tamen Deus sit eos respecturus, & reuocaturus, ut inducere in animũ possint ingratitudinem tantã, & non vllo amore erga Deũ moueantur.

Item

Item, & qui ex suo cerebro putant sese esse ex his, quos Deus compulsurus sit intrare; non vident quàm multis flagellis id agat Deus.

Itaque prædicationibus, & orationibus, & omnibus alijs rebus afficiendi sunt ad se, suaq; & Deū adducendi considerandum. Nam stupiditas quędā est, & quia sepulti in carne sunt, nō vident quid dicant, aut quid agant; vt neque illos legis seueritas vrgeat, neque Euangelij dulcedo trahat: quod est insensatorum, & morti proximorū: aut etiam penitus desperatorum, & perditorum; cum tamen semetipsos vmbra fiduciæ uane tegant, ne spiculis diuinæ vocationis, & charitatis attingantur: & non est hęc fiducia Christiani, sed carnis, & perditorum, cum sit omnibus vigilandum, & orandum, vt digni sint euadere omnia ista, & stare in conspectu filij hominis, Lucæ 21.

Aliud item, & nescio, an maius etiam negocium sit cura his, qui volunt quidē recte viuere; sed ita quadam breui via, vt progredi longius nolint, qui, quoniam habent opera quędam in speciē bona in his acquiescunt, sed & ij magno errore decipiuntur: neq; legis minas, neque Euangelij promissiones, vt sunt, intelligunt; sed pro voluntate propria, quibus si legis seueritas, & quàm iuste à nobis optima fieri petantur, & quàm eorum simus debitores: & quanto cum periculo his non pareatur: & quàm præclarum sit, & fructiferum, sequi filium Dei, demonstretur, & simul quàm paratum auxilium, & refectio filij Dei: & quæ pax animabus fidelibus: & quæ glo-

ria Deo, & vtilitas omnibus: & quæ dulcedo talis vitæ etiam cum sollicita est pro omnibus, quia pax Dei superat omnem sensum. Si hæc inquam sæpius prædicentur, & ostendãtur, & simul oretur pro iis, & omnibus; & doceantur, vt & ipsi orent, trahi, vt currant in odorem vnguentorũ filij Dei, fortaßè multus ex Euangelio carpetur. Atque vtinam contingant nobis prædicatores pleni spiritu sancto, vt Apostolico more loquantur, vt non doceant modo, sed & inflament nos ad Christum imitandum. Abductos à commodis nostris, & à cogitatione vanitatum, quarum plenus est mundus, & cogitationes nostræ ad cogitationem verorum, & æternorum, & & ad cogitandum diem illum, cum filius Dei agnoscet, qui se confeßi fuerint in hac vita, confeßi inquam, & verbis, & re ipsa tota scilicet vita.

fructus

DE ECCLESIA, ET EIVS POTESTATE.

CAP. XI.

TRACTATVR hodie de Ecclesia Dei: quæ sit, & quid poßit. nam multi, vt fugiant censuram eius occultam, dicũt: Ecclesiã Dei, quia non nisi eos, qui salui fiunt, putant ad Ecclesiã pertinere. Sed tamen ecclesia est congregatio fidelium à principio

mundi

mundi vsque in finem seculi, & in æternum, in qua multi etiam infideles, & mali diu admixti sunt, vt zizania inter triticum, & propius, vt palea cum frumento, & boni, & mali pisces in eadem sagena. In alio ergo seculo non nisi bonorum est Ecclesia Dei. in hoc est bonorum, & malorum; quia sumus in fieri sub optimo, & omnipotente artifice Deo, qui potest facere, quod vult: fractos inserere, & insertos auellere, Matt. 13. Ioan. 15. ad Rom. 11.

Si ergo quis ex moribus extimet membra Ecclesiæ, & dicat: non esse eius membra, qui moribus non conueniant; verum, & falsum dicet: verum in eo, quòd peccant. nam quatenus peccant, non sunt Ecclesiæ membra, sed Diaboli. nam à Diabolo peccatũ est. Itaque & Satã, & filij eius vocantur, Matt. 16. & Ioan. 8. Sed ex hoc propterea nõ fit, ꝙ non sint de Ecclesia, in qua est vocatio ad pœnitentiã & remißio peccatorum; & in qua tales ad hoc tollerantur, vt resipiscant. Itaque non omnes excõmunicantur, quin etiam et excõmunicati reuocantur, & admonentur, vt reuertantur. Item in eo, quòd non peccant, in eo, quòd exercẽt sua munia, sunt de Ecclesia, quia vtuntur potestate Dei, & sunt pro Deo, & vice ipsius. Voluit ergo Iesus tales pro fratribus, vt sunt, haberi, & corripi, Matt. 18. & Lucæ 17. ad Theß. vltimo, & Num. 19.

Nam alioqui diuersis animi iudicijs, ego te, tu me, extraneum ab Ecclesia duceres. Multi item tollerandi sunt, vt zizania: multi item vt palea; qui etiam

ad frumenti maturitatem adiuuandum valent, qui si reciderentur, cum his etiã & species frumenti am putaretur. In hoc ergo seculo ecclesia constat ex bonis, & malis: & ex his malis, qui non intrabunt in regnum cælorum, sed vt paleæ separabuntur: & in hoc est practica prædicanda, vt tollerentur mali; vt suo ordine corrigantur, vt eis in bonũ vtamur ad patientiam & fidem; & charitatẽ exercendam, vt ex eorum peccatis nobis timeamus, qui similiter homines, id est fragiles sumus, & facilius cadere, quo talibus sumus viciniores, ac propterea debemus esse humiliores, & Deum orare, vt custodiat nos, & illos conuertat, quo nos etiam simus à peccando tutiores, neque id desperemus: quoniam omnipotens artifex est Deus noster, qui conuertere eos potest: & non putemus eos frustra in Ecclesia esse, sed vel ad exercitium, vel ad augmentum, & sustentationem nostram, vt triticum alitur, & sustentatur à culmo, quæ palea est. Item & cum nos sumus in peccatis, timeamus, & nõ à peccatis modo; sed etiam à peccatoribus fugiamus, & ad eorum consortium accedamus, qui iustitiæ speciem habent, non vt schisma, & scisuras faciamus: sed vt mores malos vitemus: homines autem retineamus. Et sunt quędam genera hominum, quæ ita scandalizant, vt statim sint abscindenda, vt Matt. 5. & 6. Quædam admonenda prius, vt Matt. 18. & Lucæ 17. Quædam toleranda, Matt. 13. Abscindẽda sunt statim quæcũq; nos conantur auertere à via Dei, hisce verbis:

bis:

bis: Vade retro Satana,&c. Matt.4.& 16. Quisquis ergo nos ad malum hortatur, statim est refutandus. Alij offendunt; qui sunt admonendi; vt resipiscant: postremo si Ecclesiam non audiunt, nobis non sit commertium cum eis. Quidam ita sunt affecti, vt si eos repelleremus, extirparemus & triticũ; quia non tam notæ sunt ipsorum culpæ, vt alijs noceant: aut vt cõuinci ante iudicium poßint, quia vel secreto tantum peccant; vel quandam boni speciem prætendunt.

Hæretici ergo, qui nocent Ecclesiæ: statim cauendi sunt post vnam & alteram correptionem, ad Tit.3. & à magistratibus puniendi sunt, ne cæteris noceant, & quisquis debet tales magistratibus spiritualibus, & secularibus denunciare, ne turbetur pax publica; & ne sectæ & scismata inducantur: vt & reges seruiant Domino, Psal. 2.

Hic, si prælati desidẽt: aut aliter hereses increscãt admonendus est populus, id quoque oportuisse, ac factum esse; vt qui probati sunt manifesti fiant, primę Cor. 11. Atque ideo oportere, vt quibus in sensu Ecclesiæ maneat, neque auscultet nouatoribus: quia rami sunt recisi, qui hæreses faciunt, quos Deus esse sinit ad exercitium Ecclesiæ, & ad repurgationem ipsius, nam vbi illi apparent tanquam ad elatum uexillum cõcurrunt omnes, qui sunt à parte Antichristi; audaces, arrogantesq; homines, & animales, qui separant semetipsos, & potestatibus resistunt, & plus sibi tribuunt quàm vniuersę Ecclesiæ: qui

nis, pro ea, quæ spiritus est. Itaque gaudio magno exultant tanquàm thesauro iuuento: sed si propius inspexeris non est gaudium in spiritu sancto, sed est gaudiũ in carne tantum: quia liberi sint ab obseruationibus Ecclesiæ, & ita separantes seipsos ostendunt, qui sint, ij præsertim, qui primam votorum fidem irritã faciunt, quasi hæc sit libertas Christiana, non seruare, quæ promiseris, etiam quòd pro charitate & amore Dei promiseris.

Quisquis ergo perseuerauerit in fide vsque in finẽ hic saluus erit: quia scilicet in fide perseuerare non possumus, nisi fidei obedientes operemur opera bona. Ioan. 15. Fidem autem perseuerandi vsque in finem in promissis Dei non habent, nisi qui cum audiunt diuinas promißiones, quibus nos ad sequẽdum se vocat, ire volunt post ipsum, vt Gen. 28. non te deserã &c. Iosue 1. Ezech. 36. Qui vero detrectant, aut cunctantur, non habebunt hanc fidem: nam eis dicitur: si non feceritis, non habebitis partem mecum, & nemo vos seducat inanibus verbis: peccatores regnum Dei non poßidebunt, ad Eph. 5. Et veniet repentina dies illa, &c. Matt. 24. & 25. Qui vero his verbis non cõsentiunt, seipsos decipiũt, vt Deut. 29. & Matt. 7.

Et quidem de lege, quam quisque sibi fingat, vt seipsum iustificet, & resistat non modo prædicatoribus, et scripturæ sacræ: sed etiam inspirationibus Dei, quibus homines arguuntur de peccato, de iustitia, & de iudicio, diximus in tit. de Iustificat. & in tit. de Fide, & operibus. Et quomodo contrafacere debeant,

accusando

accusando seipsos, & bene sperando, & Deum inuocando: vt si non cursim, vt debent, saltem sensim conentur innouari.

De Euangelio item diximus in tit. de Prædestinatione: quod quidā credunt, si se arbitrētur prædestinatos & saluos, non decipi; sed hoc quidem verum est, si credant auctore Deo, & non Satana, & carne sua; & quòd auctor Deus id credendi ijs est, qui dare se volunt Deo: nam cæteros deterret. Itaque, & si maxime velint id credere non possunt; quia Deus dicit, venturum se, qua hora non putant: & sic si credūt, sibi ipsis credunt non Deo.

Sed verum est, debere nos oēs ad certitudinem illam niti per charitatem, vt ibi diximus: quia alioqui fidei infirmitas imputabitur. Itaque etiam doctores nostri agnoscunt esse in ecclesia confirmatos, quosdā in gratia, qui perire non possint: ad hoc autem omnes contendere debemus, ne semper in periculo simus.

Prædicanda est ergo lex ex scriptura veteri, & noua, & per eam penetrandum est ad conscientias hominum, ut videant peccata sua, & iudicem Deum: vt terreantur, & conuertantur: & quidem si generaliter lex prædicetur, homines non aduertunt, neque sibi dictum putant; sed alios dessignāt, in quos dicatur: at vero si ad particularia descendatur, demptis nominibus proprijs, quisque sibi dictum intelligit.

Euangelium item prædicandum est, vt sit Euangelium, & non licentia, vt scilicet ex prædicatione legis appareat Euangelium: Et ex ipsamet lege fiat

euangelium. Cum prædicatur bonitas Dei nostri erga nos, qui cum deberet sinere nos perire, volentes esse sicut Dij. Gen. 3. nō permisit, sed ad detegendam arrogantiam nostram; & quàm multa peccauerimus ipsum relinquentes, dignatus est ferre nobis legem, qua turpitudinem nostram videremus; & ad ipsum, qui solus mundare nos posset, recurreremus. Verum quia, & id pauci attendebant: Et per legem, vel iustificabantur ex proprio capite, vel peiores etiā aperte euadebant; & cum ipse iudicaturus sit orbem terrarum, neque permissurus sit, vt homines impunè ferant sua ipsorum peccata; promisit filium suū, quem iudicem constituit vniuersorum: & voluit, vt ante iudicij diem, esset aduocatus noster, & sacerdos, & hostia pro peccatis nostris, & rector noster; & qui solueret omnia pro nobis; & qui saluaret mundum; quo apparet quàm cupidus sit Deus noster absoluendi nos, & seruandi, & quàm nollet vllum condemnare. hoc ergo inculcandū est, né quis in se spernat consilium Dei, sed complectatur hunc filium, et sese illi regendum præbeat. Nam qui, illi non credunt, qui eum spernunt, peribunt, vt Ioan. 3. & 12. citius præ illo spernamus omnia. Nam quod lucrum esse nobis potest, quod cum amissione animæ nostræ nobis futurū est? Matth. 16. de quo supra in tit. de Christo; non est enim in aliquo alio salus. Act. 4. neque quisquàm seipsum iustificare, aut seruare potest, cum proni ad malum simus. Gen. 8. nempè nati filij iræ, ad Eph. 2. Quare non est contemnendum auxilium, presertim tam

obuium

obuium, et tam bonum, quod nobis offert Deus noster in filio suo: neque tempus amittendum est, ne præterfluat, et fiamus incredulitatis exẽplum, ad Heb. 3. & 4. Sed potius redimamus tempus, quia dies mali sunt, & quia satis superque viximus secundum carnem; ex qua non nisi corruptionem metere possumus: seminemus in spiritu, neque deficiamus; nam tempore suo metemus, ad Gal. 6. Iesus noster pastor est, & seruator, & Deus, & aduocatus, & solutor pro nobis, et per nomina ipsius, Euangelium explicandum est, & ipse Dominus per omnia inuocandus, ut supra dictum est in tit. de Gratia Dei: nam illa est Euangelium, & dicendum est etiam in tit. de Sacramentis.

Ac vide, quid promittat nobis Deus; & quàm sit necessaria nobis sua promissio: promittit inscripturũ se, & legem suam cordibus nostris. Hier. 31. Et facturum vt faciamus, innouans nos. Ezec. 34. & 36. Atque ideo daturum nobis pastores secundum cor suum. Hier. 23. per quos ipse nos regat; nempè, quia in his spiritus Dei loquatur, et Christus pastor noster. Ioan. 10. 2. Cor. 5. & 13. ad nostram vtilitatem, vt nos adducat ad plenitudinem Christi, ad Eph. 4. Et vt perseueremus, daturum se promittit timorem suũ, in corde nostro, ne ab ipso recedamus. Hier. 32.

Hæc omnia nobis necessaria tunc videmus, cum recordamur, quòd animum habentes ad Deum seruiendum expectabamus legem: quà sciremus quid agere deberemus, & per eam magis implicabamur, cum ne memoriæ quidem eam mandare valeremus, & cum

mandata quidem memoriæ in opere succurreret, cũq; etiam succurreret, non possemus eam seruare, atque etiam recusaremus eam seruare, ob repugnantiam carnis nostræ, & ob consuetudinem mundi huius, & mali principis eius. Nam antequàm laboremus, & intelligamus peccatum nostrum et periculum nostrũ: & in quam spem vocati simus ad has promissiones, quæ sunt Euangelium ipsum; mente non aduertimus: & ita non audimus vocantem & offerentem refectionem, & pacẽ animabus nostris. Matt. 11. Prædicator ergo, vt laboremus & fatigemur: atque ideo & vocem Christi audiamus, prædicatione & explicatione legis efficiat: qua nos obnoxios ostendet etiã quòd in baptismo nihil promisißemus. Nam nos creaturæ Dei, Deo seruire debemus. Simul etiam orabit prædicator, & docebit nos orare, vt Deus aperiat cor nostrum in lege sua. Nam multi, ut supra dictum est, ad hoc surdi sunt, neque vim legis sentiunt, & placet sibi ipsis: nobis autem, si per ministerium prædicatorum, vel alio modo aperiat Deus cor ad legem suam, aperte videbimus, quàm nobis necessariæ sint, promissiones suæ: & quàm magnum beneficium Dei sit erga nos, & quàm spernendum, quòd dignetur se nobis pastorem offerre, ac ne dubitemus de sua in nos dilectione ob peccata nostra, dedit filium suum pro illis; vt qui credit, non pereat, &c. Ioan. 3.

Sad inter alia, quæ in Euangelio prędicantur, illud vel præcipuum est, quod est scriptum & prædicatum: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus

erit,

erit, ad Rom. 10. Et hac parte Euangelij, qua continuo excitari ad inuocandum debebant, multi sibi ipsis blandiuntur, & in peccatis suis contabescunt, dicentes: quandocunque nomen Domini inuocauerimus, salui erimus: quis labor est dicere in fine vitæ; Deus propitius esto mihi peccatori, vt ita iustificati reuertamur in domum nostram, Lucæ 18. & ita loquuntur tanquam Euangelium ad hoc prædicatum sit in mundo, vt liberius peccaremus, quandoquidem statim vt volumus, possumus à peccatis liberari: et ita Deũ & Christum eius peccati ministrum facimus, contra, ac dicitur, ad Gal. 2.

His ergo respondendum est: quonam modo inuocabunt eum, in quem non crediderunt, ad Rom. 10. Dicent: credidimus; at cum tempus erit inuocandi, eritis absque fide. nã qui resistit bonæ conscientiæ, naufragium facit circa fidem, primę Timot. 1. & talentum aufertur ociosis. Matt. 25. Ita qui inuocabant Prou. 1. & 28. Quorum oratio execrabilis est, non erant in fide, sed in timore, vt sunt qui in manus inimicorum deuenerunt, quãuis neque ament inimicos illos, neque in ipsis confidant; tamen veniam orant adeo seipsos amant, sic, Macab. 9. Orabat Antiochus, & tunc metu & malo astrictus promittebat omnia, quasi Deus indigeret ipsius conuersione, et non potius vti vellet ipsius pœna ad gloriam suam, & terrorem aliorum: & hoc talibus eueniet, quia Dominus iam prædixit, vt essent parati: quia alioqui improuisus dies Domini aduenires, qui eos cum hipocritis separa-

ret in tenebras exteriores. Matt.24.& 25. Si autẽ dicant sese credituros, quia ita confidant de Domini bonitate; fiducia ipsorum non habet, quo nitatur; nã verbum Domini contrarium est; ideoq; nitantur necesse est sibi ipsis.

Præterea fac ita esse, vt dicunt certe toto tempore vitæ suæ non erunt salui, neque liberi; sed erunt serui peccatorum suorum. Itaque multam partem salutis Euangelicæ amiserunt, & ingrati fuerunt Deo Redemptori suo, & nocuerunt fratribus suis, & filijs, & charis suis exemplo malo suo.

Postremo hæc dicta sunt, eorum, qui nõ bene credunt, & forte non credunt ex inspiratione diuina, sed carnis, aut Satanæ: aut certe caro, & Satan suscipiendum Euangelium in ruinam docuit eos. non enim hæc prima sunt, quæ caro, & Satan corrumpant: sic ille ratiocinabatur cum talẽtum abscondebat, & tamen ratio illa non erat à Deo, sed à carne. Itaq; illi sua ratio excusationem non attulit, sed accusationem. Nam conuictus est ex ore proprio. Et quòd ratio carnis hęc sit, & non illuminati lumine Dei, coniici ex eo potest, quòd audiens hoc, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit, non intelligit se perditum, & in perditione esse, & indigere salutis, aut certe non sentit quodnam malum sit, & quàm magnũ malũ sit esse in perditione, et esse in peccatis: vt qui sic in eis delectetur, vt nolit pro salute praesenti inuocare; sed ad estremum expectare velit, neque intelligit, quàm ingratus sit Deo tam benigne vocanti,

vocanti, vt nunquã illi velit seruire. Itaque apparet quòd lex in ipso non egit suam pedagogiam ad Christum, & quòd per legem aculeos peccati non sentiit. Quare metus est, q nõ inspiratio Dei, sed carnis sit, qua dicat se credere Euangelio; aut certe carnis, & Satanæ commentum est, vt excutiant ipsum à fide; sciunt enim, si fides ociosa fuerit, quòd durare non poterit, quia qui non facit verba Christi: & si maxime illa audiendo ædificat; tamen vt stultus super arenam, & non super lapidem. Proinde facile venientibus imbribus, & aliis, quæ necessario in uita veniunt. nam necesse est, vt eueniant scandala, cadet, & fiet ruina eius magna, Matt. 7. & 13. ædificat.

Sed tamen etiam aduersus hęc omnia multi sibi ipsis placent, & dicunt in fine, sese pęnitentiã melius acturos, quàm in vita; quia tunc ipsa caro mortificata sit ob vitæ, & rerum præsentium desperationẽ, quæ illos à conuersione alienos faciebat. & cum dicimus id temporis eos non habituros fidem, & Deũ illos non vocaturum, quia toties vocati respuerint, dicunt à seipsis. Deum semper vocare, Deum stare semper ad ostium, & pulsare. Deũ semper gratiam afferre: semper fidem facere omnibus suæ placabilitatis: & quòd paratus sit semper suscipere ad pœnitentiã reuertẽtes: quia ipse nolit mortẽ peccatoris, sed magis, vt cõuertatur, & viuat, Ezec. 8. & 33.

Sed ii, præterquam quod ostendunt charam non sibi esse præsentem iustitiam, & salutem, qua sibi & proximis prosint; & Deo gloriam dent etiam salu-

tem ęternam pro vili habent, quam tanto in periculo ponunt. Quid enim sciunt, an ipsi sint ex illis, quos Deus velit etiam ad extremum vocare, atque conuertere? cum tam multos perire permiserit in minoribus etiam peccatis? quid sciunt, an ipsi futuri sint in eodem, quo nunc sunt, aut sibi esse videntur, statu? nam etiam quòd eos tunc Deus similiter, vt nũc, vocet, & fidem eis faciat, quam nunc facit: tamen, quia ipsi peccato assueuerint, quòd homines, & rebelles, & refugas facit; fieri potest, vt tunc ipsi, vel verecundia, vel timore maiore non sint aurem adhibituri; sicut neque nunc adhibent, neque enim caro omnis morte, & terroribus mortis mortificatur. nam etiam in spiritibus est prauitas, & id temporis tentationes sunt maiores. Nam tales verisimiliter sunt vnicuique, quales omnibus erunt in diem iudicij, in quibus etiam electi, si fieri posset, seducerentur, Matt. 24. Præterea, quia etiam, & fortasse, ita vt dicunt à Domino diliguntur, ipse Dominus adhibebit celeriter flagellum cum horribili terrore mortis, & damnationis ęternæ, vt celeriter eos conuertat: aut in aliqua erumna, vel diuturna ęgritudine, eaq; doloribus plena eos detinebit, ne sibi ipsis tã male consulãt.

Prętere a uix est credendum eos, qui credant ita sese diligi à Deo, vt etiam cum contra voluntatem Dei non solum uixerint totam vitam suã; sed decreuerint ita viuere, tamen Deus sit eos respecturus, & reuocaturus, ut inducere in animũ possint ingratitudinem tantã, & non vllo amore erga Deũ moueantur.

Item

Item, & qui ex suo cerebro putant sese esse ex his, quos Deus compulsurus sit intrare; non vident quàm multis flagellis id agat Deus.

Itaque prædicationibus, & orationibus, & omnibus alijs rebus afficiendi sunt ad se, suaq; & Deū considerandum. Nam stupiditas quędā est, & quia sepulti in carne sunt, nō vident quid dicant, aut quid agant; vt neque illos legis seueritas vrgeat, neque Euangelij dulcedo trahat: quod est insensatorum, & morti proximorū: aut etiam penitus desperatorum, & perditorum; cum tamen semetipsos vmbra fiduciæ uane tegant, ne spiculis diuinæ vocationis, & charitatis attingantur: & non est hęc fiducia Christiani, sed carnis, & perditorum, cum sit omnibus vigilandum, & orandum, vt digni sint euadere omnia ista, & stare in conspectu filij hominis, Lucæ 21.

Aliud item, & nescio, an maius etiam negocium sit cum his, qui volunt quidē recte viuere; sed ita quadam breui via, vt progredi longius nolint, qui, quoniam habent opera quędam in speciē bona in his acquiescunt, sed & ij magno errore decipiuntur: neq; legis minas, neque Euangelij promissiones, vt sunt, intelligunt; sed pro voluntate propria, quibus si legis seueritas, & quàm iuste à nobis optima fieri petantur, & quàm eorum simus debitores: & quanto cum periculo his non pareatur: & quàm præclarum sit, & fructiferum, sequi filium Dei, demonstretur, & simul quàm paratum auxilium, & refectio filij Dei: & quæ pax animabus fidelibus: & quæ glo-

adducendi

ria Deo, & vtilitas omnibus: & quæ dulcedo talis vitæ, etiam cum sollicita est pro omnibus, quia pax Dei superat omnem sensum. Si hæc inquam sæpius prædicentur, & ostendātur, & simul oretur pro iis, & omnibus; & doceantur, vt & ipsi orent, trahi, vt currant in odorem vnguentorū filij Dei, fortasse multus ex Euangelio carpetur. Atque vtinam contingant nobis prædicatores pleni spiritu sancto, vt Apostolico more loquantur, vt non doceant modo, sed & inflament nos ad Christum imitandum. Abductos à commodis nostris, & à cogitatione vanitatum, quarum plenus est mundus, & cogitationes nostræ ad cogitationem verorum, & æternorum, & & ad cogitandum diem illum, cum filius Dei agnoscet, qui se confeßi fuerint in hac vita, confeßi inquam, & verbis, & re ipsa tota scilicet vita.

fructus

DE ECCLESIA, ET EIVS POTESTATE.

CAP. XI.

TRACTATVR hodie de Ecclesia Dei: quæ sit, & quid poßit, nam multi, vt fugiant censuram eius occultam, dicūt: Ecclesiā Dei, quia non nisi eos, qui salui fiunt, putant ad Ecclesiā pertinere. Sed tamen ecclesia est congregatio fidelium à principio

mundi

mundi vsque in finem seculi, & in æternum, in qua multi etiam infideles, & mali diu admixti sunt, vt zizania inter triticum, & propius, vt palea cum frumento, & boni, & mali pisces in eadem sagena. In alio ergo seculo non nisi bonorum est Ecclesia Dei. in hoc est bonorum, & malorum; quia sumus in fieri sub optimo, & omni potente artifice Deo, qui potest facere, quod vult: fractos inserere, & insertos euellere, Matt. 13. Ioan. 15. ad Rom. 11.

Si ergo quis ex moribus extimet membra Ecclesiæ, & dicat: non esse eius membra, qui moribus non conueniant; verum, & falsum dicet: verum in eo, quòd peccant. nam quatenus peccant, non sunt Ecclesiæ membra, sed Diaboli. nam à Diabolo peccatū est. Itaque & Satã, & filij eius vocantur, Matt. 16. & Ioan. 8. Sed ex hoc propterea nõ fit, q̃ non sint de Ecclesia, in qua est vocatio ad pœnitentiã & remissio peccatorum, & in qua tales ad hoc tollerantur, vt resipiscant. Itaque non omnes excõmunicantur, quin etiam et excõmunicati reuocantur, & admonentur, vt reuertantur. Item in eo, quòd non peccant, in eo, quòd exercẽt sua munia, sunt de Ecclesiã, quia vtuntur potestate Dei, & sunt pro Deo, & vice ipsius. Voluit ergo Iesus tales pro fratribus, vt sunt, haberi, & corripi, Matt. 18. & Lucæ 17. ad Thess. vltimo, & Num. 19.

Nam alioqui diuersis animi iudicijs, ego te, tu me, exttraneum ab Ecclesia duceres. Multi item tollerandi sunt, vt zizania: multi item vt palea; qui etiam

ad frumenti maturitatem adiuuandum valent, qui si recciderentur, cum his etiā & species frumenti am putaretur. In hoc ergo seculo ecclesia constat ex bonis, & malis: & ex his malis, qui non intrabunt in regnum cælorum, sed vt paleæ separabuntur: & in hoc est practica prædicanda, vt tollerentur mali; vt suo ordine corrigantur, vt eis in bonū vtamur ad patientiam & fidem; & charitatē exercendam, vt ex eorum peccatis nobis timeamus, qui similiter homines, id est fragiles sumus, & facilius cadere, quo talibus sumus viciniores, ac proptere a debemus esse humiliores, & Deum orare, vt custodiat nos, & illos conuertat, quo nos etiam simus à peccando tutiores, neque id desperemus: quoniam omnipotens artifex est Deus noster, qui conuertere eos potest: & non putemus eos frustra in Ecclesia esse, sed vel ad exercitium, vel ad augmentum, & sustentationem nostram, vt triticum alitur, & sustentatur à culmo, quæ palea est. Item & cum nos sumus in peccatis, timeamus, & nō à peccatis modo; sed etiam à peccatoribus fugiamus, & ad eorum consortium accedamus, qui iustitiæ speciem habent, non vt schisma, & scisuras faciamus: sed vt mores malos vitemus: homines autem retineamus. Et sunt quędam genera hominum, quæ ita scandalizant, vt statim sint abscindenda, vt Matt. 5. & 6. Quædam admonenda prius, vt Matt. 18. & Lucæ 17. Quædam toleranda, Matt. 13. Abscindēda sunt statim quæcūq; nos conantur auertere à via Dei, hisce verbis:

bis: Vade retro Satana,&c.Matt.4.& 16.Quisquis ergo nos ad malum hortatur, statim est refutandus. Alij offendunt; qui sunt admonendi; vt resipiscant: postremo si Ecclesiam non audiunt, nobis non sit commertium cum eis. Quidam ita sunt affecti, vt si eos repelleremus, extirparemus & triticũ; quia non tam notæ sunt ipsorum culpæ, vt alijs noceant: aut vt cõuinci ante iudicium possint, quia vel secreto tantum peccant; vel quandam boni speciem prætendunt.

Hæretici ergo, qui nocent Ecclesiæ: statim cauendi sunt post vnam & alteram correptionem, ad Tit.3. & à magistratibus puniendi sunt, ne cæteris noceant, & quisquis debet tales magistratibus spiritualibus, & secularibus denunciare, ne turbetur pax publica; & ne sectæ & scismata inducantur: vt & reges seruiant Domino, Psal.2.

Hic, si prælati desidẽt: aut aliter hereses increscãt admonendus est populus, id quoque oportuisse, ac factum esse; vt qui probati sunt manifesti fiant, primę Cor.11. Atque ideo oportere, vt quibus in sensu Ecclesiæ maneat, neque auscultet nouatoribus: quia rami sunt recisi, qui hæreses faciunt, quos Deus esse sinit ad exercitium Ecclesiæ, & ad repurgationem ipsius, nam vbi illi apparent tanquam ad elatum uexillum cõcurrunt omnes, qui sunt à parte Antichristi; audaces, arrogantesq; homines, & animales, qui separant semetipsos, & potestatibus resistunt, & plus sibi tribuunt quàm vniuersę Ecclesiæ: qui

H

etiam & audent negare Ecclesiã alibi quàm in ipsis esse; cum tamen in ipsis Ecclesia sit Antichristi, vt ergo quibus maneat in vocatione sua, neque velit iudicare, sed iudicium ad prælatos remittat: ipse autem sensui Ecclesiæ credat, quem antiquum videt, & priori sanctisq; patribus probatum intelligit, ne si sibi magistros nouos inueniant homines, cũ erunt in iudicio Dei, nullam habeant excusationem. Quidam enim dicent, cur à sensu Ecclesiæ recesserint? an ab his nouis doctoribus miracula facta sunt ad comprobationẽ nouæ ipsorum doctrinæ? an rationes tam validas attulerunt, vt quisquàm iudicare poßit eas præferendas rationibus & auctoritate doctorum nostrorum præsertim, cum ne videre quidem, aut audire eos voluerint. Quare admonendi sunt, vt si quas rationes ex illis audierint eas referant ad Theologos, & prælatos, vt ab his doceantur, & non vt ipsi de illis iudicent: ne alienum munus occupent & arrogantiæ arguantur; & in cecitate arrogantię concludantur. primum ergo sit ne audiant tales, sed deuitent, quia sermo eorum, vt cancer serpit. 2. Timot. 2.

Postea si audire contingerit, & seduci cęperint, ne velint ipsi iudicare, sed ad maiores referant, ne sui ipsorum ipsi pastores esse velint; nam sic sperne-rent consilium Dei in se ipsis: qui eos non pastores, sed oues fecit.

Item, ne propter malos aliquorum mores separentur ab Ecclesia; sed separẽtur à malis moribus illorum; vt scilicet sic facilius conuertant eos, nam si

sepa-

separentur habebuntur vt hostes, & nihil in illis corrigendis proficient; neque quisquam accedat ad mores eorum malos, quacunq; sese vendant, aut dignitate, aut multitudine; sed potius in bono vincat malum: ęquius enim est bonum vincere, & conuertere malos, quam vinci à malis, & conuerti per eos ad malum: & in hac re imploret, & speret auxilium Dei, nam militat secundum pręcepta eius, qui iubet nos in bono stabiles esse: & nunquã dimoueri; vt ad nos quandoq; aggregętur qui fuerant mali; & nunquam nos accedamus ad malos cuiusquam mores. Quilibet ergo agnoscat se, quòd scilicet esse debet membrum sanum in Ecclesia Christi, & non quòd alios inficiat; sed quòd aptum sit alios sanare: & quòd et iam resistere possit irę Dei, si in ciuitatẽ immineat, Gen. 18. Item qui fructificet palmes, vt repurgetur, & non infructuosus, qui exciditur, Ioan. 15. aut saltem sit, qui lugeat populi peccata: vt cum percussor venerit, signetur ne ipse cum pereuntibus pereat, vt Ezec. 9. Vbi vides quòd nõ sufficit habere incogitantiam, & innocentiam paruulorũ. nam omnes tales interficiuntur, sed saltem flere oportet abominationes Ierusalem.

Et quilibet sese facilem prębeat ad emaculandũ, & expurgandum spiritui Christi, & ministris eius, & visitationibus & flagellis eius. nam ipse purgationem peccatorum facit, Malac. 3. Et velut aurum igne purgamur, primę Pet 1. ne scilicet si hęc iniquo & reluctanti animo feramus, neccessitatem inicia-

mus ei maioris ignis adhibendi, vt Ezec. 22.

Agnoscamus itē nos; quia sumus Ecclesia Christi, esse catholicos, id est vniuersales; vt nos ad omnes pertinere arbitremur: vt nos omnibus demus, & ad nos omnes putemus pertinere: vt omnibus prodesse velimus: & id quacunque ratione possumus annitamur; et saltem pro cunctis oremus, et omnium vicem miserorum doleamus, & omnium omnibus bonis gaudeamus, nulli inuidentes: omnium amantes, vt Christum imitemur. Atque hic innuant dignitatem nostram gratiā Christi considerantes, optemus hoc tam magnum Christi beneficium omnibus gentibus esse notissimum, quod & vita & verbis à nobis est illis manifestandum, & pro ipsis lugendum, atque orandum, & iam tales esse debemus, vt obliti nostri simus pro aliorum salute, qui tantum bonum adhuc non agnouerunt. sed ad eius auditū deridēt, vel scandalizantur, primæ Cor. 1. magno suo ipsorum malo, & sæpe etiam cum scandalo nostrorum pusillorum.

Neque quod interdum Ecclesia Christi persecutionem & obloquutiones patiatur nobis fugiendum, aut tacendum putemus: sed magis occasionem arripiamus Christi nominis, & euangelij sui confessionis faciendæ in generatione praua & peccatrice. nam sæpe ecclesia Christi; non in Christi nomine, sed in verbis eius persequutionem patitur à tepidis: & ab his, qui impeditos volunt prælatos & prædicatores, & omnes quicunque bonorum nostrorum consuetudinē reducere volūt, & fugare malos. nam tepidi & mali

morum

li homines defendunt pro iustis, ea, quæ praua consuetudo admisit, nos ergo illis nō cedamus; sed vbicunque Deus nobis ministros excitat ad reformationem, non contemnamus, sed adiuuemus opus Dei, ministri enim Dei nostri sunt, & Deus tentat nos; quia si eos contemnimus, Deus relinquet nos moribus nostris malis; neque nos flagello subtrahet, cum cęperit terrā percutere, qui noluimus adiuuare suos ministros.

Nunc dicendum est de potestate Ecclesiæ, huius ecclesiæ inquam, quæ militat in hoc seculo: quæ est ciuitas super montē posita. Matt. 5. atq; ideo visibilis: in qua sunt prælati, et subditi. 1. Cor. 12. ad Eph. 4. & boni, & mali, fructuosi, & infructuosi. Matt. 13. Io. 15. Vasa in honorem, et in contumeliā. 2. Tim. 2.

Et primo quęritur: an possit contra scripturas sanctas: sed hoc est quærere: vtrum possit contra Deum (quod est absurdum) aut plusquàm Deus, itaque dicendum est, nihil eam posse; at neque facere quidem quicquam contra scripturam: quia potestas eius magna est pro veritate, non contra veritatem ad ædificandum, nō ad destruendum. 2. Cor. 13. Nam potestas eius ex Deo est, nō habet eā à seipsa. Matt. 16. Potestas autem eius est testificandi de scripturis: quænam sint veræ scripturę Dei: & testificandi de sensu ipsarum in ambiguis. Deut. 17. & de voluntate Dei in his, quæ in scripturis non habentur. Nunquid ergo poterit hodie testificari scripturas sacras non esse scripturas Dei? Sed hoc est iam quærere: vtrum possit testificari Ecclesia cōtra seipsam; ita ut dicat men-

ritam sese fuisse tunc, aut deceptam, cũ iudicauit has esse scripturas Dei: & qua ratione fidem inueniet, vt nunc quoque non deceptam se probet, si aliquando fuit decepta & destituta à spiritu sponsi sui in re tam necessaria? non ergo potest hoc testimonium ferre, neque ferret, nam vna & eadem est Ecclesia à principio mundi vsque ad finem.

Similiter, & de sensu scripturæ sacræ non potest vnquam contrarium sensum afferre, quasi aliàs decepta fuerit. & hoc dico de his, quę ad fidem, & mores pertinent, quæ necessaria sint ad salutem. Nam in minimis nihil attinet dicere: in his enim quibus abundat in suo sensu: modo receptis non contradicat. multa sunt, quæ siue hoc, siue contrario modo intelligantur, nihil refert. Itaque diuersarum ciuitatum in his contrariæ sunt consuetudines absque vllo incommodo vniuersalis Ecclesiæ, vt cum in vna ciuitate sabbato ieiunatur: in alia non ieiunatur & similia. Sic nihil referebat Apostolos non intelligere quod Christus dixit Iudæ: quod facis, fac citius. Ioan. 13. Itaque in scripturis alij alium sensum accipiunt: is modo non sit contrarius necessarijs receptis ab Ecclesia, non est quod quisquam reprehendat. nam sæpe idem versiculus id mihi significat, quod alteri aliud signat; quin etiam idem versiculus hodie vnum mihi dicit, cras aliud: quia scilicet interna quadam inspiratione per ea verba nobis Deus in negotijs particularibus indicat voluntatem suam, et non permittit, vt tunc aliũ sensum ex eo versu accipiam: aut si etiam permittit,

tamen

quilibet

tamen indicat & illum alium sensum bonum esse, & mihi tunc sequendum. Verbi gratia, cum superbia, succurret, Beati pauperes spiritu: & videbitur tunc mihi his versus ad reprimendum superbiam dictus, & non de alia altera paupertate: id nihil sensui Ecclesiæ præiudicat. nam alibi inuenietur commendata paupertas alteri, aut etiam mihi ipsi. aliàs idem versus ad paupertatem commendandam, & ad consolandum pauperes dictus videbitur, vt quia tunc me diuitiarum tentatio aggrediebatur. Itaque eo versu me ipsum consolabor, putās uere de pauperibus loqui.

Potest item ferre testimoniū in his, quę sunt præter scripturam; & sic statuere, vt Act. 15. quod etiā alio tempore. potest mutare, sicut tunc statuit de suffocato, & sanguine non comedendo: quod postea mutauit, neque in hoc sibi contraria est, sed pro libertate: quam habet à Domino ligandi atque soluendi: ligat & soluit prout res & tempus exigit. hinc sunt constitutiones de ieiuniis, de cibis, de festis diebus, quæ omnia seruat, vel mutat pro arbitrio non cuiuscunque particularis, sed totius vel maioris partis Ecclesiæ. Ita ea diuersis locis diuersa statuat, nam & ad hoc est potestas ligandi, & soluendi, ne essemus sub lege. vnde & particularibus hominibus prælati particularia quædam concedunt ob suas causas. Contra scripturā autem, in his quæ Deus mandauit, neque statuit Ecclesia, neque aliorum statuta, aut consuetudines, probat, licet nonnulla tolleret, vt meretricium pro maioris mali fuga, quæ tamen & ipsa cum potest, mutat,

& in melius reducit: multos enim multarum etiam bonarum rerum abusus: vt festorum dierum hilaritates parum Christianas fert, vt potest, & prædicationibus, & orationibus conatur infringere, saltem re clamat ne consentire videatur, & ne quis consuetudinem prauam pro iure bono vsurpet.

a

a

Et sicut non statuit contra præcepta Dei: sic neq; aduersus eius consilia statuere potest, neque prohibere quenquam à cursu perfectionis in vocatione sua: licet interdum moderetur indiscretos fituores: quo casu nō impedit consilia Christi; sed adiuuat: nunquam tamen spiritui sancto in finem resistit, vt quæ ab ipso regatur, Matth. 10. & vlt. Licetq; pro humana fragilitate aliquando paruo quodam tempore non acceptet omnia fatetur tamen fuisse & esse acceptanda.

feruores

Posset quoque ferre testimonium voluntatis Dei, etiam contra scripturam: vt si Deus, nunc diceret, velle se, vt homines mutuo sese interficerent, vt idola colerent sese relicto, vt Zac. 11. et Ezec. 20. Iud. 10. Ecclesia hoc testificaretur per suos Prophetas, ac ministros: non ergo quique potest aduersus Deum, sed pro Deo potest omnia, quæ illi Deus cōmisit, & committit, & pro vt Deus committit, ut quæ serio Deus cōmittit, serio & ipsa referat, quę ironicus. ironice, quæ iratus irate. Nam testis est ipsa voluntatis Dei; quo casu non ipsa contra scripturam dicit, sed refert tantum quod commisit ei Deus, vt dicat: neque in hoc potest dici decepta spiritu malo, sub nomine spiritus Dei. Nam qui sensus est in verbis Dei ad Ecclesiam, idem

quicquam

idem sensus erit Ecclesiæ ad seipsam, vt illud: Ite ad Deos alienos: irati est, & ironice loquentis, in quo sibi Deus obediri non vult, sed resisti.

In omnibus ergo, sed præsertim in his, quæ magna sunt, & quorum contraria mala essent, si illa essent bona, vestigandus est Ecclesiæ vniuersalis sensus, ne facile credamus sensui nostro. nam si cum Ecclesia fuerimus, Deum nobiscum habebimus: si autem fuerimus soli, metus est ne decipiamur. nam væ soli, & in his decipi, quæ necessaria sunt magnum est detrimentum. Videmus enim Christum non permittere sese tangi à Magdalena: quia erat sola, et quod permiserit, cum esset cum aliis. Ioan. 20. Matt. 28. Sic duobus discipulis statim disparuit cum omnibus autē diu fuit, & tangi ab his voluit, & cum his edere: & ita eis aperuit sensum scripturę, Lucæ 24. vt scilicet sciamus Ecclesiæ apertiora & plura data esse in scripturis intelligere, quàm singulis aut pauculis quibusque.

In his autem, quę nihil refert quàm in partem intelligantur, quisque abundet in sensu suo, modo nemo contentionibus deseruiat; sed facile cedat in his, quæ contraria non sunt bonis moribus, & diuinæ voluntati & præceptis Ecclesiæ Dei: quia sic essent contraria Deo: quo ad Ecclesia ita præciperet, quæ habet auctoritatem ligandi; & soluendi à Domino Deo.

Attendendum est lectioni sacræ, primæ Timot. 4. sec. Timot. 3. & doctoribus sanctis; vt ex omnibus, quæ meliora sunt decerpamus, & sensum Ecclesiæ

non ignoremus. nam in hominibus multi sunt, qui conantur corrumpere Ecclesiæ sensum; & ad suas nuptias trahunt, & seducunt animas, quæ refugiunt crucē, nam talium Deus venter est, & gloria in confusionem: nam quando & in Doctoribus aliquis error est, vel illum arripiunt, & contra veritatem defendunt, vel ex eo totum Doctorem impugnant; nihil æqui, aut moderati habentes: & multis bonis, quæ in eo Doctore sunt: priuare Ecclesiam student, quia is alicubi, vt homo errauit: quod si Ecclesia id sequeretur, nullum iam Doctorem haberemus, & magna luce careremus, contra potius oportuit probare, quæ bona sunt, & refellere, quæ sunt mala, vt in Ecclesia fit. seditiosorum autem, & hæreticorum libri cauendi sunt, & refellendi: quia per malitiam peccant, imiscentq; bona malis: non vt prosint per ea, quæ bona sunt, sed vt per ea obtrudant mala: & ita nos suis venenis inficiant. hij vitandi sunt præsertim cum prælatorū decreto vetiti sunt: nam qui sese periculo obijcit, & sese non decipiendum putat, hoc ipso tamen quod superbit, & quod Ecclesiæ prohibenti, non paret, dignus est qui decipi permittatur; vt ipse, aut si non ipse, certe alii videant quàm periculosum, ac perniciosum sit Ecclesiæ præceptis non parere, in quo magnopere incurrunt idiotæ, & qui sensus exercitatos in scripturis non habent. nam præterquàm quòd Ecclesiæ pręceptis non parent, preoccupant aliorum munia, & sese pro Doctoribus venditant audacissimi ad pronunciandū, vt qui per igno-

rantiam

rantiam multarũ rerum, quæ necessaria sunt ad iudicandum, facile decepti putant sese omnia videre, neque esse quenquàm, qui plus ipsis videre possit.

Sed ex his aliqui excusant seipsos, quòd vt discant quæ Dei sunt, vident hæreticorum libros, quasi desint sanctorum Doctorum libri, quibus instruantur. an non ostendunt, quòd spiritu seditionis, & superbiæ mouentur: qui ante hac nunquàm dignati sunt libros sanctorum, & probatorum Doctorũ, & nunc tanto ardore conantur, vt videant scripta hæreticorum, etiam sub tanta prælatorum prohibitione: quid cupiunt, volentes incipere discere ab hæreticis? cur non prius à suis discunt? si qua deceat diligentia vterentur, scire prius vellent quid in Ecclesia doceatur: & quibus rationibus id à suis Doctoribus fulciatur; ita nullo desiderio tenerentur videndi scripta hæreticorum. nam probata haberent sua, & abundare se tam præclaris viderent, vt facile hæreticos contemnerent; neque dignarentur eorũ rationes audire: quibus imponunt imperitis.

Alij dicunt non esse hos hæreticos sed Prophetas, sed Dei ministros: qui instaurent Ecclesiam Dei. sed certe qui tales sunt, aut decipiuntur, aut sunt à parte illorum, quibus Ecclesia Christi non placet, sed destruere eam volunt sub Christi nomine. nã quid est, quòd isti inter alia sua volunt, nõ esse quẽquàm Episcopum vniuersalẽ in Ecclesia: sed omnes Episcopos pares esse, nisi velle vt scismata suboriantur, & rursus scindatur Ecclesia? an hoc Antichristi non est.

Quid est, quod volunt omnia libera, & nullis constitutionibus nos teneri, nisi vt nesciamus quid communiter in Ecclesia faciamus: & ita non modo ciuitas à ciuitate, sed ciuis à cōciue dissentiat, & ita non sit neque docendi, neque dicendi tempus, aut locus, vt non libertas, sed confusio sit in Ecclesia Dei: & ne vllus extraneus sciat, qui mores sint Ecclesiæ. Atque ideo nesciat quomodo poßit venire ad Christum? & cum puniri hæreticos nolunt, non ne ostendunt, quàm non ament Ecclesię pacem, & quàm velint eam omnibus prodi? & quàm velint vt Reges nunquàm seruiant Deo? & quid est eße à parte Antichristi, si hoc non est esse à parte eius?

Quid est, quòd confessiones negant, & ieiunia, & obseruationes Ecclesię Sanctę; nisi vt tanquam Epicuri Secta Christianorum infametur: & iustificetur obiectio Iudęorum, qui dicunt Christum à iugo legis ad licentiam carnis homines euocasse: atque ideo inuenisse sectatores tam multos?

Quid est, quòd campanas, & organa derident, & cantus; nisi quòd nullum extare volunt testimonium religiosę ciuitatis: neque procul sitos campanis vocari; sed cornibus, vt in sinagoga, tanquàm nondum Christus venerit ad omnes vocandos; sed in angulis latendum sit adhuc?

Quid est, quòd nihil agi volunt, nisi quod scriptũ sit? quid aliud, nisi velle nos sub legem retrahere, tanquàm Christus non venerit, neque pactum nouum attulerit?

Quid

Quid est, quòd negant sacrificium in Ecclesia? quid aliud, nisi irrita facere verba Dei, Malac. 1. & Christi, qui iussit ita fieri in sui memoriam? & totam Ecclesiam sugillare imperitię, & impietatis, atque ita Christum conculcare, & mendacem facere, quod dixit: futurum esse nobiscum vsque in finem?

Quid est, quòd sanctorum imaginum honorem negant, quem præbet Ecclesia: & dicere, Ecclesiam potuisse in his canonizandis facile errare? quid aliud, nisi vitem veram Christum suis palmitibus spoliare, ne videatur quod in mundo gesserit; quem fructum in suis palmitibus ferat?

Quid est, monachos, & sacerdotes repellere, & votis non teneri, dicere? quid aliud, nisi odio habere eos, qui publicè verba Christi diligēter, sequi videantur; vt nemo percipiat, quid Christus etiam nunc in multis possit, qui sese tot vinculis alligant, ne discedant à verbis ipsius? Nam fortasse dicant, hos reformandos, & non tollendos. Non ne sub prætextu baptismi volunt vota cætera irritari? quasi in baptismo promiserimus nos mēdaces futuros, & vota non seruaturos, & cultum; qui in votis Deo redditur; irritum facturos.

Et cum cœlibatum extinctum volunt, quid aliud agunt, quam vt credamus adhuc nos sub lege esse: & teneri denuo ad nubendum; & Christum nondū venisse; & Christi consilium, & Apostolorum detrimentosum esse?

Cum item & mendicantes excludunt, quid aliud

volunt, quàm ne quisquàm appareat, qui paupertatis professionem fecerit, etiam posteaquàm eam Dominus tam beatifice commendarit? Hæc, & alia, quæ dicunt, & mouerunt; præsertim cum tot conuicia in Prælatos, & Doctores Ecclesiæ iaciant, quid aliud indicant quàm furiis, & Antichristi spiritu eos agitari: atq; ideo & incepisse eos discessionē; vt reuelari posit homo peccati? Hos quisquis amat, quisquis sequitur, non ne se prodit à parte Antichristi stare?

Certe in Ecclesia apparet per constitutiones ieiuniorum, & pœnitentię, crucem Christi probari: per cœlibatum, ad quem nemo cogitur, & per professam paupertatem, & obedientiam in honore haberi verba Christi: per obedientiam Prælatorum fidem nos habere, regi à Christo. Itaque illi nos remittere quid acturus sit de suis prælatis, per sacrificium, pro viuis, ac defunctis, honorare verbum Christi: vt si etiam, sicut non erramus, erraremus, vt forte ij errabant, qui sese pro mortuis baptizari faciebant; tamen Christus honestatur, & honor habetur Ecclesię ipsius, in qua ipse est, & honoratur, id ipsum & per cultum sanctorum & imaginum, et omnium rerum, de quibus sit suo loco dicendum. Quare, qui sibi ab hac Ecclesia discedendum putant, paleæ sunt, & vento auferuntur, vt non in horrea Domini reponantur. Nam qui dicunt, vitia se, non Ecclesiam fugere si vera dicunt, non separabuntur à nobis: sed in Ecclesia recte viuent, vt supra dictū est: si autem vitiorum prætextu dignum putant, vt ab Ecclesia recedatur,

datur, omnibus hęresibus aperiunt ianuā, & totam Ecclesiam infamant. Itaq; nullis hęreticis sunt in ipsa impietatę inferiores.

De Prælatis tam ſpiritualibus, quàm ſecularibus, & eorum poteſtate. Cap. XII.

DE Prælatis tā ſpiritualibus, quàm ſecularibus prædicatores, cū omni modeſtia, ac reuerentia loquantur, nō enim eſt poteſtas niſi à Deo, ad Ro. 13. Eos nobis Deus præpoſuit paſtores, ac rectores bonos, aut malos pro merito noſtro, ſiue ergo illi adſint, ſiue abſint, cum de eis ſermo inciderit, ſit modeſtus, ut vereri conſilium & iudicium Dei prędicator videatur, & non ſatiram facere, aut auram popularem captare maledicētis; ſic enim nihil aliud agit, quàm plebem corrumpit, vt nō vereatur ſcita ſuperiorum, & ipſe magno ſe ſcelere aſtringit, qui incomperta pro certis affirmat, & accuſat, vbi non oportet. At Prophetæ magno impetu ſuperiores aggrediuntur; concedo, cum ita quis ſpecialiter mittatur à Deo, vt ouis in medio luporum: dum corrupti ſunt omnium mores, & iam Deus iudicium ſuum exerit: nos autem hic loquimur de lege vniuerſali, & non ſpeciali mandato. Quiſquis autē de ſe pronūciare velit, quòd ſit à Deo miſſus, ſuo pe-

riculo aget quod volet: nos pronunciare de alterius vocatione non possumus.

Incidere autem sermo de prælatis potest etiam in populo ipso; quia ibi sunt multi, qui cupiant prelaturas, & magistratus sibi, aut suis. Sunt item & nobiles, & patres familias, qui & ipsi quandam prælaturam gerant. Sunt interdum etiam & parrochi, qui curam cum gerant animarum, prælati iure dici possunt in suo munere. Declarandum ergo ijs omnibus erit quales esse debeant Prælati; vt qui sunt sciant quid eos agere oporteat, qui vero cupiunt sibi, aut suis: vt norint ad quos mores se, & suos formare debeant, ne indigne atq; ideo, & cum damno suscipiant iugum.

Primo ergo declarandũ est, an desiderari, & peti possint magistratus, & asserendum, vt primæ Timoth. 3. vt scilicet desideret quis esse se talẽ, qui dignus sit prefici Reipublicę, idq; à Domino petat, nam virtutes illæ: quę prælatis conueniunt, omnibus hominibus appetendæ sunt, vbi autem quis se aliquid tale assequutum à Deo putat, tunc accedat ad Papã, ad Episcopum, vel ad Principem, vel ad populum vacante aliquo loco, & sese offerat paratum onus recipere, vt dicat sibi has esse dotes putare à Domino, vt libenter laboraturus sit, & pericula, & labores, & erumnas aditurus pro Ecclesia Dei; & ita liberũ iudicium relinquat electoribus, aut confirmatoribus. Ita vt nullam in partem moueatur, etiam si alius sibi in honore sit præferendus, si autem videat non se

studio

studio laborandi & iuuandi Ecclesiam & suo periculo duci, sed opes & honores expectare iam non licebit id desiderare, aut petere, cum iam alienum appeteret, honores enim, & opes constitutæ sunt labores, & pericula pro Ecclesia, & republica suscepturis, & non respicientibus semetipsos, idq; declaretur vt homines malam cupiditatem coërceant, aut si non poßunt, vt saltem laborent quo digni habeantur, vt si quando electi fuerint, non omnino inutiles sint Ecclesiæ Dei, nam fieri poterit, vt sensim quis illectus & diuino auxilio adiutus, & Ecclesiæ præcibus fiat, vt veniente lupo non terreatur, sed & ipse animam ponat pro ouibus Christi; doceantur ergo filij, qui in hanc spem educantur: quales esse debeant, & quales eos Christus & eius Apostoli requirãt, Ioan. 10. primæ Timot. 3. primæ Pet. 5.

Occcurraturq; tacite omnium obiectioni, qui dicent, non patere hodie uiris bonis aditum ad prælaturas, sed ambitiosis & auaris, et insidiosis hominibus, non enim apparet bellum, quod geritur cum diabolo, & mundo, sed altissima pax videtur. Itaque non qui melior, sed qui rapacior est admittitur, quia non agitur prælatura, sed larua quædam ad emungendas pecunias, quia neque populus ferre velit bonos prælatos, sed cerimonijs tantum & sonis detineri: ad vnũ autem corripi, aut emendari non sustinet, itaque præmia prælaturarum non ipsas prælaturas iam peti; occurrendum est huic obiectioni, ac dicendum est reijciendam esse curam in Deum, ut tu nolis ambire:

a sed tantum studeas, vt sis dignus qui eligare: idque ambias à Deo, vt si quidem fueris electus, scias te habiturum te adiutorem Deum in tota administratione tua, cuius consilio & fauore ipsam sis assequutus. Omnes tamen admonēdi sunt, vt huic desiderio non statim consentiant, sed resistant potius: considerētq; ne sit tentatio quædam, quæ velit nos à nostra vocatione ad alienam auertere, cum expectandus sit ipse, qui inuitauit & vt dicat. Amice ascende superius, Lucæ 14. Si autem quis cogitat hoc desiderium esse quia eum Deus eo vocat videat vt est dictum; an habeat, quæ tali vocationi conueniant, & sese & operā offerat nulla ambitione, sed cum timore Dei, & cum certa fiducia, qua credat Deum gubernare præsides & electores.

Si autem non eligaris, scias id Deo non placuisse, atque ideo non esse eam vocationem tuam, neque tibi tamen defuturum campum, in quo possis Ecclesiæ Dei prodesse, nam videmus simplices præsbiteros, aut monachos, aut & seculares viros multa facere in populo quæ propria, & episcoporum & præsidum sunt, adhibentur enim ad multa negotia præsertim ægritudinibus, paupertate, aut alia hominum calamitate subleuanda, horumq; sermones casti, grauesq; ac de Deo tantum prosunt vt interdum magna hospitalia magnas pacificationes, multos bonos mores inductos, horum actione videamus: idq; absq; inuidia & pompa, quod Deus operatus est in illis suo more, nam eligit infirma mundi, primæ Cor. 1.

Sed

Sed quoniam multi per ambitionem, aut alias malas artes obrepserunt in prælaturas; si abdicare sese nolunt magistratu, saltem vt rectè administrent admoneantur.

Et diserte explicetur qui & quales esse debeant; idq; agatur absque conuitijs & contumelia, comparatione malorum; satis sit vt intelligant omnes qui esse debeant, si vnquàm in eũ gradum assumantur, & hoc apposite fiat, si per eorum nomina res agatur, videlicet vocantur patres, explicetur quæ functio patrum sit, atque ita rector seu spiritualis, seu secularis patris vicem agere sese agnoscat, sic vocantur pastores & rectores, & duces & nutrices; & qui vices agant Dei; & subministrent non sua, sed quæ acceperunt ad hoc à Deo, & quod Deus rationem repetiturus est ab eis quẽ decipere, aut opprimere non possunt, & qui maioribus seueriora addit iudicia, Sap. 6. primæ. Pet. 5.

Addantur exhortationes ne pericula metuãt, neue deficiant, sed magna spe laborent; cum ipsi coadiutores sint Dei, ædificantis & agricolantis, primæ Cor. 3. & 4. Et quod Deus facientes fructum purgat, vt fructum plus afferant, Ioan. 15. iccirco metuant magis à desidia, cui minatur Deus auferre scilicet talentũ ocioso, Matt. 25. quàm ab actionibus, quibus homines minantur, nam minæ hominum pro nihilo sint, Deus autẽ timendus est, Lucæ 12. Matt. 10. In quo solo confidendum, Ecc. 2. Hier. 17.

Sic & de hortationes à negligentia & malis mo-

ribus præsertim publicis & à comertio prauorum; nisi vt conuertantur, ne scilicet infametur officium Præsidis, & in exemplum rapiatur si cum malis, & prauis hominibus pergat conuersari absque conatu ad conuertendum eos.

Ad hæc sit cohortatio mutua, vt spirituales & seculares mutuo sese adiuuent ad tollendos malos mores & vitia e populo, ne cupiant fieri maleficia, vt ipsi lucrentur, sed magis optent quod Moses dicebat, quis det vt omnes prophetent, Num. 11. & vt Dominus Iesus, qui cunctos sibi æquat modo faciāt voluntatem patris, Matth. 12. vt in hoc laborent, quo populus ita veri & æquitati afficiatur, vt absq; arbitro, ac præside esse possit, non enim parentes & præceptores semper vellēt regere, & docere, sed tantum ad quoddā tempus; vt qui docentur et reguntur docti fiant, aptiq;, qui & alios, & regāt, & doceāt.

Illud quoque sit firmum, spirituales præferri secularibus, non quod ita contentiones fiant, sed quia ita statuerit Deus, vt spiritualia secularibus præferantur, vt honoretur iudicium Dei, neque propterea secularis magistratus putet se tantum secularibus inseruire: vt nihil sit sibi de spiritualibus cogitandum: immo sic existimet coercere se secularia, vt aptiores reddantur homines ad spiritualia, huc enim pax ciuilis pertinet, vt in castitate & tranquilitate Deo seruiamus, 1. Timot. 2. Ministros ergo Dei sese putent, & ita sancti præsides vtuntur spiritualibus ministris vel dum pacificandi sunt aliqui, vel cum de

aliquo

aliquo supplicium est sumendum, vel etiã cum multiplicata, ita sunt delicta: vt neque carceres, neque leges valeant, curant prȩsides, vt boni prædicatores assumantur: & frequenter Dei metus inculcetur, & ad hoc Episcopos requirunt, vt tranquilitati per religionem consulatur, sic vicissim Episcopi auxiliũ secularium prȩsidum petunt, cum contumaces homines bonis moribus infesti cẽsuras Ecclesiæ negligunt, & magno sunt impedimento castis moribus & paci, ita etiam spirituales paci & abundantiæ seculari seruiũt, quia & hanc Deus ob cultum suum hominibus promittit, Leui. 26. ad finem autem habendi spiritũ contendunt omnia, ideo spirituales secularibus præferuntur, sic tantum vt inter eos ea contentio sit, qui magis Deo seruiat, & magis alium iuuet, & non impediat, nam cum contra fit, homines ab vno magistratu ad alium refugiunt: & ita mali homines præsidiũ ibi reperiunt, vnde correptionem, & pœnam etiam referre debent.

Cauere item debent omnes prælati à contemptu, vt illud nemo adolescentiam tuam contemnat, & nemo te contemnat, 1. Timot. 4. ad Tit. 2. in fi.

Habent enim magistratus ad hoc iurisdictionem, ad Rom. 13. Tamen si ipsi populum suum contempserint negligentia vel desidia, & ipsi contemnuntur similiter si non recte gubernabunt, erunt non modo contentibiles, sed etiam odiosi, sic etiam si recte gubernarent, & ipsi essent moribus prauis, contẽnerentur à multis: & ita impediretur eorum gubernatio,

nam sal infatuatum proijcitur foras, & conculcatur ab hominibus, Matt. 5. Nam aut priuantur vt palmites infructuosi, Ioan. 15. aut per ora hominum traducuntur vt impij & ita omnium opinione conculcantur ab hominibus; neque eorum verba, aut iussa attenduntur, ergo & nunc Reges intelligite, ne quando irascatur Dominus et pereatis à via iusta, Psal. 2. neq; est vt quisquam in suis latibulis confidat, nam nihil opertum quod non reueletur, Matt. 10. Deus enim, quoniā prępositis desunt correctores amici, & abundant adulatoribus, ipse corrigit: & facit vt detegantur: & ita sepe habeantur pro ethnicis & publicanis, Matt. 18. quia nemo ad eos accedit pro re sancta & religiosa, sed tantum ad prophanas adhibentur, tamen qui recte gubernant, & à publicis criminibus cauent, cito pœnitentiam agent, hoc enim quod recte gubernant fructum faciunt, quare ex promissione Christi sequitur vt Deus purget eos, vt fructus plus afferant, Ioan. 15.

Rectæ autē gubernantes nequaquàm infamiam vereantur, quam impij excitant vt deturbent eos à diligentia sed meminerint per infamiam & bonam famā, per prospera et aduersa, omnibus esse transeundum in cælum, sed præcipue præfectis; quos oportet etiam à bonis interdum, aut nimium credulis, aut suspiciosis, aut nimium in mandatis Dei cupientibus, male audire, sed ij facillime placantur, nam res ipsa docet eos ne murmurent, præsertim quia Deus ipse arguit murmurantes, & quia boni sunt, facile audiunt

diunt vocem Dei sui.

Et præcipua omnium Præfectorum cura est, ut re purgetur ciuitas & prouincia malis hominibus: sed spiritualium cura est, si possit conuertere malos illos homines, & è malis bonos reddere. Itaque verbo & exemplo multum debent laborare, & curare, vt frequenter prædicetur, & doceantur, quę Dei sunt per omnes parrochias & per principales Ecclesias, & scolarum magistros: & patres, ac matres sollicitè agere, ne libri & cantilenę, lasciuiæue aliæ, aut ferociæ in manibus habeantur: nam ea non puerorum modo, & puellarum animos, sed maiorum etiam inficiunt corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Et in hoc etiam secularis Præfectus debet adiuuare, vt videantur libri qui venduntur & ludicræ prędicationes, quę in plateis solent haberi, ne quid turpe afferant ad corrumpendam ciuitatem. Maxime autem cauendum est ab hæreticis, quos oportet omni ratione coercere: sic tamen, vt ne propter eos silentium indicatur verbo Dei. nam hęc esset hæresis multo periculosior, perpetuam.n. habemus aduersus verbum Dei prædicationũ à carne, à mundo, à Satana, itaq; si cesset verbum Dei, carnales omnes erimus semper, & Diabolici, extinguendæ ergo sunt hæreses non taciturnitate verbi Dei; sed eloquijs Dei, nam illis repurgamur à vitijs: & à malis doctrinis, Ioan. 15: nam lucerna est verbum Dei, & lex lux, Psal. 18. Prou. 6. Quærendi sunt ergo Doctores, & prædicatores sani & pij, qui frequẽti doctrina ambigant te-

nebras hæreticorum; & sciſmata ſuperborum hominum, & recte viuendum eſt prelatis: ne ipſi ſint conteptibiles, vt eſt dictum, nam alioqui & hęretici magnos fauores habent, dum per ipſos hęreticos expugnare volunt prelatorum inertiā homines mali, quin & boni quoque aliqui fauent hęreticis, quia non hæreticos, ſed viros bonos putant hoc ipſo, quod malis prelatis maledicunt.

Solent hæretici iactare nō eſſe manſuetudinis Chriſtianę hæreticos gladio puniri, & ſecularibus poteſtatibus tradi, ſed eos refellit magnis rationibus Diuus Auguſtinus, itaque licet implorare nunc reges in auxilium ſpiritualis diſcipline, neque id modo, ſed etiam aduerſus Turcas: non ſolum quia regna & opida Chriſtianorum vi occupant, ſed quia pueros adducunt inuitis parentibus ad ſectam ſuam, vt ex his milites faciant, verum vt Ieruſalem recuperetur non tanta eſt actio, nam Dominus dixit, Ieruſalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum, Lucę 21. Itaque ſi Ieruſalem volumus, danda eſt opera, vt Euangelium ſicut cepit, ad inſulas recens inuentas, propagetur in omnes nationes, danda, in quam opera eſt, vt nos boni beneque educati ſimus in fide Chriſti: vt etiam cum capimur à Turcis, ipſos in fide Chriſti capiamus.

Vigilent ne ſuperſeminetur zizania, Matt. 13. id fiet ſi bonis utentur doctoribus: hiſq; diligētibus: atq; huc cōducendi ſunt pretio ſi haberi gratis nō poſſunt, & preſertim habendi ſunt uiri aliqui, qui ſeipſos Deo-

dica-

dicarũt, qui saltim qui festis diebus, et per parrochias, et per villas doceant pueros mandata Dei, & prima Christianæ fidei rudiméta, vt à filijs discant parentes Deum timere ac colere: doceantur quod amandi sunt inimici, quod pro ipsis orandum est. quod omnes homines diligendi sunt, néue attendant ad factiones, et seditiones, sed certe si frequens fuerit sana doctrina: si confessores habeantur idonei, nam & ij verbũ administrant & absolutionem, multa in melius vertẽt, & locus dabitur inspirationibus diuinis, & nouus exurget populus qui Deum norit, ex his erunt præsbyteri, monaci, monachæ, ex his prælati, tam spirituales quàm temporales, neque hic desidendum est, neq; tedium, aut labor, aut impensa defugienda est, nam maiores manent labores à negligentia, & à vitijs quæ per eam suboriuntur, Id dictum etiam sit patribus, & matribus; nam dum indulgent filijs præterquàm quod eos postea patientur contumaces, ipsis quoque filijs nocent, qui per eam negligentiam perduntur, qui si diligenter habiti fuerint, magno erunt parentibus gaudio; & ipsi aliquo in numero erunt apud Deum, sed verentur parentes ne perdantur filij, si bonos mores doceantur, timent enim ne aliquam religiosam societatem ingrediantur, quasi id magnum aliquod malum sit, et non magnum bonum Deo eo quoque modo seruire; aut Deus omnes: quos amat in eas intrudat domos, Deus quos amat, et à quibus colitur dirigit ut intelligant vocationem suam; eos in omni statu custodit, & ex his facit qui reipublicæ presit, qui mercatu

ram exercent, qui militiam, qui cæteras artes, & qui agricolantur, omnibus ipse rector est nam omnium vt filiorum omnia opera probat quæ cõtra legem suã non sunt si quis filios suos non vult ad conuentus, & monasteria fugere; doceat bene viuere: & bene illis præcipiat: eisq; bonum exemplum prębeat. & nõ abibunt, nã domi videbunt esse vnde viuant Christiani.

Sint constantes & opponant sese lupis, & malam doctrinam ingerentibus, resistant prauis moribus, et emendent quoad possunt consuetudines malas, vt est dictum:

Constitutiones Ecclesiæ quæ receptæ sunt & quas ipsi pro tempore ediderint custodiant & curent etiam vt custodiantur neque id vi tantum ne iram operentur, sed prædicatione vt sciant eas in vtilitatem Ecclesiæ factas esse, idq; inculcetur sæpius ad persuadendum: vt quãuis etiam duris parendum sit pro facilitate Christiana; sciant tamen gratiam sese Deo debere; quod non permiserit suos prælatos dura, sed salutaria præcipere.

Neque refugiant labores propter hominum improbitatem. nam ad hoc prælati sunt; si enim homines boni essent, nulla esset prælatura: omnes essemus fratres, sorores, & mater Christi: Matt. 12.

Peculiare munus Episcoporum est, Chrisma curẽt vt deuote, & cum spiritu Dei agatur: Ita nemini cito manum imponunt, magna cura ordinum, magna cura vt ad prædicationes, & cõfessiones idonei admittantur: sic tamen vt admittantur ne dum ex omni

parte idonei expectantur, nemo prædicet, admittantur mediocriter docti modo eis sit aliqua religio, et simul cogantur dicere tantum probata non ambigua aut controuersa: nā talia doctoribus, & certo quodam tempore non semper sunt committenda, vt sic emendetur, quod potest preteritorum negligentia, si aliqui fuerunt, qui sine discrimine manum imposuerunt omnibus.

Est etiam benedictio vestium, vasorum, & campanarum, hæc omnia commoda prædicatione declaranda sunt fieri in significatione nouę creaturæ: quæ per Christum inchoatur, vt cum omnis creatura Deo seruire debeat in Christianitate oporteat creaturas, vt & homines quodāmodo innouari, ac renasci, quia regnum Dei peculiare, non illud vniuersale, quo regit etiam inferos initietur in nobis: vt simus filij Dei & procul discitos voce campanæ nostrę, & omni ceremonia vocemus: vocatos autem retineamus nutriamus, & ad perfectum adducamus.

Est etiam visitatio quàm serio debet agere Episcopus, & inquirere de doctrina, moribus, & diligentia præsbyterorum, maximè Parrochorum & Vicariorum. Item & de rebus Ecclesiæ non delapidandis, & custodiendis de cerimonijs ne ridiculæ sint, aut neglectæ, aut nimis exquisitæ, aut contrariæ ceteris de diœcesi, ne sub oriatur aliqua propter eas cōtentio, sed ex toto sit quantum possibile est, vniformis consuetudo totius diœcesis & ciuitatis, vtq; declaretur etiam quod aliæ propinquæ, aut longe positæ ciuitates aliam

in his vsum habeant non esse propterea: gloriandum quia in hoc quilibet in suo sensu abundet, omnes aliquid his velle significare, quę ad Dei honorem & cultum pertineant; itaque vtendum suis, aliena vero non improbanda; cum indifferentia sunt.

Officium prælatorum est subuenire oppressis, viduis, & pauperibus idq; omnes debent, Esa.1. sed spirituales magis faciunt, si consolentur, si ad patientiã exhortentur, & datam vexationem in exercitiũ doceant: atque ita maius bonum expectandum quàm amotio calamitatis: & vexationis, simul deterrere improbos debent, & auxilia in hoc secularium implorare:

Seculares quoque præter hęc nutrire Ecclesiã debent, dico sacerdotes & ministros altaris & verbi, vt Esa.49. & 60. Erunt reges nutritij tui, & ab ijs exigere spiritualia & subiectus populus in pace & religiose uiuat; nam clerus facit Prædicatores, & Confessores: dignus est ergo operarius mercede sua, Matth.10. sed dicunt, dabimus prædicatoribus tantum, & confessoribus; at vos tales habere non potestis nisi cętus quidam educetur hominum religiosorũ ex quibus tales oriuntur. Itaque totus ille vobis cętus est alendus, & populi qui hoc non agunt, grauiter vexantur à Domino.

Et pręclare facerẽt etiam Reges, si quemadmodũ Iosaphat fecit, & ipsi mitterent adiutores Episcoporum qui viderent vt in prouincia rectũ iudicaretur, & Deus coleretur, & lex Dei audiretur. 2. Par. 17.

Hęc

Hæc & his similia possunt prædicatores de prælatis tam spiritualibus, quàm secularibus dicere, & eadem applicare ad patres familias, ad nobiles, ad eos qui adsunt, & qui aliquid vel domi, vel in vicinia, vel in ciuitate possunt, vel apud ipsos magistratus, et præsides: vt illi ipsi quæ audierint à Prædicatoribus referant suis Prælatis; & magistratibus, atque ab his exigant hanc diligentiam & ipsi auxilium polliceantur, & domi suæ inter suos id exerceant, vt scilicet ostendant filijs, & familiæ suæ velle se Deum colere, & coli eundem à suis, itaque velle vt surgentes & cubitum euntes orent. Itèm vt gratias agant in omnibus: vt siue comedant, siue quid aliud agant, omnia in nomine Dei faciant. 1. Cor. 10. ad Coloss. 3. Vt nulli incommodent vt decedant de iure suo potius q̃ alteri cuiquàm noceant, vt parcant, vt orent, pro offensoribus suis, benedicant etiam maledicentibus: vt omnes obseruent præsertim maiores, vt inter se pacate viuant: cito concordent: & placiturum qui prior iniuriam remiserit, & à contentione discesserit, reddat omnibus debita; ne quia plus potest, alicui noceat, sed prosit magis vt ministrum se beneficiorum, nō iræ Dei agnoscat, neque excuset quòd prælati interdum & præsides desident, aut etiam impediunt opera bona, sed tunc magis sibi laborandum & in officio manendum ducat, quo dormientibus superioribus periculosius tempus est. periculosius

DE SVBDITIS, ET OBEDIENTIA.

CAP. XIII.

CVM de subditorum officio dicendū est, admoneantur obedientiæ quam debent prælatis suis, seu illi spiritua les, seu seculares, seu etiam pagani fuerint, idq; vt agant non ad oculum seruientes; sed tanquam ij qui Deo seruiunt in illis, & qui serui Christi sunt, & no lunt quenquam scandalizare, ne doctrina Christi male audiat, sed potius ornetur per ipsorum obedientiā, ad Rom. 13. ad Eph. 6. ad Coloss. 3. primæ Tim. 6. ad Tit. 2. primæ Pet. 2. ita vt etiam discolis obediēdum sit, etiam cum ab eis mala patimur ob benefacta, & obediendum quia nobis non erit vtile, si prælati nostri gementes, pro nobis inuigilabunt, vt ad Heb. 13. & Matt. 23. Hæc generaliter dici Christus voluit, ne si obediendum bonis tantum & fidelibus asseruisset, dissolueretur disciplina per contumaciam impiorum, & per ignorantiam aliorum, impij enim neque bonis, neque malis, nisi cum sibi videtur, obedire volunt, & statim arriperent ansmam vitiorum: dicerentq; prælatos malos, hisq; obediendum non esse: & parati essent fingere mala quæ non apparerent, simplices autem vel zelo non secundum sciētiam, vel

verbis

verbis aliorũ seducti, male de prælatis suis extimarent, & ita neque ipsi vellent parere: multi ob id ipsum quod prælati non omnia faciunt, & quę etiã impossibilia ex ipsis expectarent, nam quis hominum adeo perfectus est, vt omnibus satisfaciat? nollent parere, Dominus ergo vt nemo sit excusatus, sed magis ad obedientiam, quisque se exerceat, facite, inquit, quæ dicunt, quãuis ipsi non faciant, quamuis sint hypocritæ, Matth. 23. multum enim nobis hoc prodest, quia obediendo carnem domamus, et uoluntatem nostram abnegamus: non enim debitores sumus carni, vt secundum carnem viuamus, ad Rom. 8. & adeo voluntatem nostram abnegare debemus: vt etiam suam bonam abneget Christus, vt meliorem voluntatem diuinitatis faciat, vt dixit: Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat, Matth. 26. diuinam ergo voluntatem faciemus obediendo, ergo etiam cũ prælatus præcipit rem bonam aut indifferentem, idest modo non præcipiat contra præcepta Dei, faciendum est quod ipse præcepit, & non id quod nos etiam melius id temporis agere parabamus. Sic enim Dei voluntatem facimus; non enim refert in bonis aut indifferentibus quid magis agatur, sed qua causa. Itaque Christi minores actiones, quia maiore charitate agebantur, maioris sunt meriti quam aliorum, vel maximę & præclarissimę, quia non tanta cum charitate sunt gestæ.

Ad hæc ostendatur quam magni boni, & quantæ pacis causa sit obedientia, quia si ea seruatur, omnes

sciunt quod agi oporteat: quid fiat in populo: & quàm non sperandum sit in seditionibus: cum videant omnia prælatorum iudicio geri.

Et in hoc illud est maximum bonum, quia honoramus consilium & iudicium Dei: qui dedit talem potestatem hominibus: & absumus à metu; & tranquillamus conscientiam, ad Rom. 13. Et Deum quodammodo obligamus ad dandum nobis ministros, & præfectos bonos: quandoquidem nos eos suscipimus omni B *reuerentia, & omni honore dignos arbitramur; quia ipse illos nobis præfecerit, & non ipsi nos illos nobis præfecerimus: neque nos illis præponimus, sed eis paremus pro Dei voluntate eos nobis præficientis.*

Ac videre possumus quantopere Deo placeat obedientia nostra ad præfectos nostros, vt maxime laudet filios Recab, quia patri obediebant præcipienti ne vinũ biberent, neq; in ciuitate habitarẽt. Hie. 35.

Ex alia parte ostendatur, quanti periculi ac mali sit non obedire principibus, & præfectis tanquam à Deo missis, Saul Rex non obedit Samueli; & Regno habetur indignus. 1. Reg. 13. Ionatas non obedit Regi quãuis nesciens, & Deus uniuerso populo irascitur, 1. Reg. 14. Nam de Acham non est tam mirũ Iosue 7. quãquam & illud magni momenti est, vt pro vnius occulta præuaricatione, totus populus flagelletur, indicans quàm vnum simus omnes, & quantam curam habere debeamus etiam proximorum nostrorum, vt sint Deum timentes, ne publicè aut priuatim quid peccent, sed sint obedientes præcepto præfectorum;

ctorum: Nam in his seipsum; qui eos nobis præfecit spretum aut honoratum Deus arbitratur cum dicat, qui vos audit, me audit. Matth. 10. & Iof. 1. Itaq; etiam malus Præses, qui percutiebat conseruos & vitam luxuriosam ducebat, non repellitur à conseruis, sed Dominus expectat qui de illo iudicet, Matt. 24. nam alioqui; si non ita fieret, nulla pax esse posset in populo, nunc enim is, nunc ille suum præpositum deponēdum iudicaret, oportet ergo sit quædam inuicta potestas, à qua non liceat reclamare, vt sit pax omnibus, & ut discamus propriam voluntatem abnegare, & Deum honorare in his quæ nobis dura, aut iniuriosa videantur, nam si patimur, ob malefacta quæ est gratia, vt primæ Pet. 2.

Nam & peccata & iniurias: quas inferunt prælati, nos nobis imputare debemus: quod per eos ita nos Deus velit flagellare, quia qualis populus, talis sacerdos, & Deus dat sæpe regem in furore suo. Oseæ. 4. & 13. Esa. 3. Effeminati principi tui. Pro. 28.

Neque quod ferociores videantur, turbare nos debet, sed talibus nobis opus esse arbitremur: & quo magis sunt metuendi, hoc habent nos magis in pace, cum deterrent malos, nam si blādi aut placabiles uidebuntur, nisi frequens sit, & valida prædicatio, mores corrumpentur licentia, & spe impunitatis à remißis prælatis, coniungi itaque debet, vt Augustinus ait, potestas & doctrina, vt mutuo sibi auxilio sint; ne potestas absque doctore tyrannis videatur, & doctrina absq; potestate disciplinę negligatur, sed quę-

quid sit, nobis ferenda sunt omnia, & exercere nos debemus ad obedientiam, etiam cum auari Prælati videntur & exactores penarum, prosunt nobis vbi attenti sumus, nam cautius viuere discimus, ne in manum inexorabilium incidamus, agitur enim hic non de hac vita: sed de Eterna; ad quam quo magis in hac vexamur, magis nobis est properandum, quasi Deus nos per eas vexationes nos admoneat, ne his fragilibus fundamenta iaciamus.

Item etiam si sit remissus Prælatus, nos tamen nobis illum metuendum arbitremur, quia Deus non est remissus, qui nobis eum præfecit, sed tentat nos, an sponte obedire velimus, & vt gratior sit nostra obedientia, quæ metu non exprimitur, sed officio.

In primisq; doceatur populus, orandum esse pro superioribus. 1. Tim. 2. etiam si infideles sint, idq; omnes doceant filios suos, ut quotidie preces pro suis præpositis tanquam pro patribus nostris ac Dei ministris oremus, vt à Deo acceptam potestatẽ legitime exerceant, cum Dei laude & salute omnium, idq; ex animo fiat, & nõ summis tantum labijs oretur, nam res est seria: & in qua Deus honoretur & causa nostra agitur pacis abundantia & honestatis, quæ omnia contemptis aut prauis superioribus corrumpuntur, et pręcipue etiam oretur Deus, vt nos faciat humiles, atque obedientes, & morigeros, superioribus nostris, ne tradamur in reprobum sensum cũ Datan & Abiron, & suis complicibus Num. 16. Adiuuent itaque clerici Episcopos suos, vt commodè reliquum populũ

ad religionem adducant, et minores magistratus adiuuent maiores, & èconuerso, & in omnibus oretur Deus, vt mittat operarios in messem suam. Matt. 9. Neque ad punienda peccata nostra, sed ad auferenda mittat nobis vtriusque fori prælatos, vt lætetur in lætitia gentis suæ, & laudetur cum hęreditate sua. Psal. 105. Idq́; fieri potest absque quòd noui prælati instituantur, nam satis est si qui dati sunt aut boni, aut meliores euadāt, id quod Deo facere facile est, qui omnium corda in manu habet, hoc dico, ne quis mortē aut remotionem priorum pręlatorum desideret, sed morum in bonum mutationem.

Ostendatur non esse impediendos à sua administratione superiores, sed diligendos esse & tuendos, et pro reprobis, & Deo odibilibus habendos eos, qui potestates contemnunt. 2. Petr. 2. & non metuendos, nam sunt aliqui ita vani, vt pulchrum ducant superioribus non parere: et videri supra leges esse: qui non attendunt quàm magnum sibi malum accersant, & quàm mereantur, vt & ipsis similia eueniant, & ita à seruis suis, ab agricolis, & alijs contemnantur: per quos ipsi iura ducunt contemnenda; docēdi ergo sunt, eos futuros maiores quo magis paruerint superioribus & his nobilibus & præpotentibus uiris, esse præcipuè laborandum pro maiestate superiorum ne contemnantur, & eos debere animos potestatibus facere: & ipsos adiuuare in bono, idq́; publice profiteri vt magistratus & spirituales, & seculares libentius & efficacius suum munus exequantur, nam ad hoc nobiles

ſunt in ciuitate, qui & ipſi quidem quaſi minores magiſtratus ſunt in vicinia ſua, & in pagis ac villis vt præfectis & magiſtratibus præſto ſint, vbi quid conſilij aut auxilij opus eſt, arguendiq; ſunt qui tyrãnice agunt & abutuntur nobilitate & opibus: quo fit vt magne ſæpe familiæ diuinitus aut flagellentur, aut perdantur, dum non faciunt ſibi modum: & ad impediendum ius non ad adiuuandum ſibi datas facultates arbitrantur, ac quoniam tales plerunque impediunt magiſtratus, & ſacerdotibus minantur, corripiendi ſunt, et boni viri animandi ad ſuperiorum honorem, vt tales deterreantur, nã dum hoc nõ fit, increſcunt flagitia, & prælati deſident: & tradunt ſeſe voluptatibus, & venationibus, & ludis, & ius non exercetur, & nos accuſamus Prælatos cum tamen illi merito noſtro ſint; quia vel ipſos, vel qui eos præceſſerunt impediuimus ab adminiſtrando: aut eos nõ iuuimus cum ab alijs impedirẽtur, præſertim cũ quodam quaſi odio eos proſequamur, tãtum abeſt, vt pro eis ex animo Deum rogemus, inuidentes honori & poteſtati & opibus eorum.

Itaque, huc incumbant prædicatores vt publice ac priuatim non cerimonia tantum; ſed corde pro ſuperioribus oretur vt tranquillam & quietam vitam agamus, in omni caſtitate. 1. Tim. 2. Nam alioqui ſi pergimus ſuperiores impugnare: & delectamur licentia & impunitate: dabit hoc nobis iratus Deus, prædicationes amittemus, expilatores pro iudicibus habebimus: aut certe direptoribus exercitibus tra-

demur,

demur, vt patiamur quæ alios pati volebamus, & gustemus quæ nobis tam iocunda in alios ducebamus. Esa.5. Ezech.7.

Ostendendus est etiam ordo, & pietas prælatorum, vt scilicet quæ ad contentiones & controuersias pertinent per se agant: vbi vis exercendum est, ea vero quæ ad gratiam, & remissionem peccatorum, quæ secreto & in conscientijs aguntur, committunt minoribus sacerdotibus & religiosis, & sanctis hominibus: vt quisque pro se & filijs & filiabus suis eligat sacerdotem idoneum, at sanctum à quo non scandalum, sed absolutionem, & bonam spem reportet, grauiora vero reseruant crimina, & in publicis aliter agitur, quo disciplina & seueritas in Ecclesia cõseruetur. ius

Ostendendum itaque est id nobis placere debere, vt abhorreamus à flagitijs, & vt habeamus ministros nostræ salutis, atque hic docendum est vt serio agatur confeßio, & alia sacramenta sumantur, vtq; ab Episcopo petantur confessores boni, & doctores, vt sit nobis facultas è pluribus meliorem eligendi, aut certe commodum, & non pœnitendum habere, nam alioqui multa in Ecclesia turbantur, certe negligentiores efficimur nostræ salutis, & cum maxime nihil scimus eorum quæ ad salutem pertinent, tunc maxime scire nos putamus per arrogantiam, quæ ex ipsamet ignorantia nutritur.

De præceptis Prælatorum, tam spiritualium quàm secularium, & de constitutionibus, & consuetudine. Cap. XIIII.

CVM de præceptis Prælatorum agitur, declarādū est, quid maxime poßint et debeāt prælati præcipere, & quibus parendum sit, adhortandique sunt, vt quoniam pro veritate, & ad ædificationem potestatem magnam habent. 2. Cor. 13. ut ligandi & soluendi, Matt. 16. ea præcipiant, quæ ad iracundiam non prouocent filios suos: & quæ non faciant eos pusillo animo, ad Eph. 6. ad Coloß. 3. primæ Tim. 6. neque quæ laqueum inijciant. 1. Cor. 7. sed quæ salubria sunt, & ad charitatem spectant & cultum Dei, non contraria mandatis Dei aut Ecclesiæ consuetudini, aut præceptis vniuersalibus, nisi vbi iusta causa est, & potestas dispensandi, vt sunt in diuersis Ecclesiis diuersæ constitutiones, & consuetudines pro varietate regionum & morum.

Subditos autem admoneant parendum esse absq; cunctatione, quia periculum sit in contumacia, vt scilicet vidimus in tit. præcedenti, ne spernant Deum dum homines putant sese spernere, vt illud, primæ ad Theß. 4. qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum. Viuant ergo in fide, putentq; id sibi per eos à Deo esse præceptum, qui dixit, qui vos audit, me audit,

dit, qui vos spernit, me spernit, Lucæ 10. neque velint, esse iudices legis & prælatorum, sed obedientes ne suam vocationem supergreßi, arripiantur à spiritu malo, quandoquidem non seruiunt mensuræ spiritus, quę data est eis cum sint oues non pastores.

Obijcitur huc ab hæreticis, quod huiusmodi pręcepta libertatem Christianam labefactant, sed non est verum: nam libertas Christiana spiritualis est, & non carnalis: libertas à vitijs vt in charitate seruiamus, vt supra diximus, in tit. de libero arbitrio, ad Gal. 5. Itaque per has præceptiones, libertas carnis infringitur & surgit libertas spiritus, qua etiam angarianti inseruimus duplo magis quàm petatur. Matt. 5. & 6. ne dum Prælatis quibus ius est præcipiendi, mandata ergo superiorum, etiam in exercitium mortificandę carnis nostræ & proprię voluntatis emanasse arbitremur, vtili nobis consilio Dei nostri.

Multi prauo iudicio putant parendum prælatis non esse, ne non propter Christum, sed propter eorum auctoritatem parere videamur, vt angarianti parere tutius dicant quàm Prælatis, quia in Prælatorum obedientia periclitetur libertas, non in angariantis, sed ij reprehendere volunt consilium Dei, qui dedit eam potestatem hominibus, ad hęc nulla nobis esset libertas, si non esset ea auctoritas superiorum: quilibet enim faceret, quod bonum esset in oculis suis, ita omnia confunderentur, nũquam sciremus quid agatur, quando conueniendum sit, quando docendum, quandoquidẽ quilibet in suo sensu abũdaret & va-

rie essent contentiones. Itaque vt stata, & tuta sit libertas, necesse est vt sint superiores quidam, qui licentiam carnis coërceant: & spiritus libertatem dirigant ne confundamur: & in his prælatis nostris loquitur spiritus Dei, nam per eos nos regit. Matt. 10. Vtuntur legatione pro Christo, 2. Cor. 5. alioqui inter sanctos erunt contentiones, etiam in re bona, vt inter Barnabam; & Saulum. Act. 15.

Postea dicunt oportere esse constitutiones & præsides, vt non modo peccata arceantur & coerceantur, sed etiam opera bona dirigantur & exprimantur, tamen ex his non accipi remissionem peccatorũ, neq ue esse cultum Dei, neque iustificari, neque mereri a liquid, sed quod remissio peccatorum ex ipsis non detur, c oncedimus. nemo enim remissionem peccatorum ab obseruatione constitutionum venatur, sed à baptismo & confeßione sacramentis Iesu Christi, & hijs quæ ipse instituit ad remißionem peccatorum, quia per ipsum fit remißio peccatorum ex operibus fidei & charitatis, & ex his quæcunque sint quę ipse ad hoc instituit, & non ex operibus, quæ ab hominibus constituuntur. Itaque illi ipsi qui maxime sub constitutionum multitudine uiuunt, sunt qui frequentius vtuntur sacramento pœnitentiæ, & sepissime confitentur peccata sua, tantum abest vt constitutionibus putent sibi dimitti peccata.

Dicere autem obseruationem constitutionum, & pręceptorum superiorum non esse Dei cultum, est imperiti dicere, quam enim aliam ob causam, ea seruamus

mus, nisi vt Deo placeamus pręcipienti vt pareamus prępositis nostris? & cum siue manducamus, siue bibimus, siue quid aliud facimus, omnia in gloriam Dei facere debeamus, 1. Cor. 10. ad Coloss. 3. ab his omnibus excludemus obedientiā, quam prælatis Dei præstamus ex verbo suo, quia nescio, qui homines dicunt constitutionū obseruationem non esse cultū Dei?

At rursus dicunt: obedientia non habet meritū, qui hoc sciunt? an paratior Deus est ad nocendum quàm ad iuuandum? & ad peccatum imputabit si non pareamus, vt scilicet proximo tit. vidimus, & non imputabit ad meritum obedientiam?

Rursus dicunt: nos eis non iustificari, concedimus his peccatorum remissionem non assequi, ut dictū est, sed iustificamur in hoc quod meremur obedietes, quod statuimus nos recte agere, dum superioribus paremus & peccare si non pareamus: itaque cum viuere debeamus ex fide, & non facere quòd Deo non placere arbitremur, ex pręceptis & constitutionibus maiorum confirmamus ea, quæ secundum illas facimus Deo placere & facienda esse. Itaq; ex fide viuimus & fides ad iustitiam reputatur, vt scilicet opus illud obedientiæ pro iusto habeatur apud Deum.

Itaque docendi sunt homines, constitutiones & præcepta, & consuetudines Ecclesię habenda, non vt inuenta hominum: sed vt Dei dictata per homines, quibus ipse dedit potestatem: ne efficiamur serui hominum sed Dei simus serui: qui regit nos per eos, sicut ipse dixit, cum populus regem peteret, Samueli

nō te ſpreuerūt ſed me, ne regnem ſuper eos. 1. Reg. 7. & 8. ſic quod ſepius diximus; qui vos audit me audit, Matt. 10. Lucæ 10.

Doceantur homines, gratias agere Deo, qui dedit eos prælatos, qui ipſos vrgerent ad opera bona, non enim Deus eget operibus noſtris, ſed nos illis indigemus, ipſe nos per ea exercet, vt renouet, idq; vt libentius agamus, promittit bona fidelibus, & mala contumacibus minatur, & in hoc exerceant filios ſuos, vt bene loquantur de ſuperioribus ſuis: & reuereātur eorū ſcita, vt iuſſa Dei per eos ad nos delata.

Prelati autem inuigilent tam ſpirituales, quàm ſeculares: vt conſtitutiones, & conſuetudines vniuerſales, quę receptæ ſunt ubique: & particulares & prouinciales, quæ vtiles ſunt prouincijs obſeruentur, ne populus aſſueſcat iugum detrectare, nam ſubinde erit difficilior, & peribit & paſtor cum ouibus percutietur, nam qui parcit virgę odit filium ſuum, Prou. 13. 23. 29.

Populus autem non delaxationem à rebus bonis ſed auxilium à Domino, & refectionem petat: quo ferre onus leuiter poſſit, ita inuenient requiem animabus ſuis, Matt. 11. Dominus enim ſapiens eſt, & potens, non vult deſides & mortuos nos eſſe, ſed vult magnos & ſtrenuos & ſe, & Euangelio dignos eſſe: quare non eſt ſperandū, vt de rigore ſuæ legis quicquam remittat, hoc enim nobis utile nequaquam fuerit, ſed ex ipſo peti vult uires & ſpiritum bonū quo iſta digne obeamus, Matt. 7. et 11. Lucæ 11. hoc qui

inertes

nolunt

nolunt vt sumus omnes, qui carne consulta id nolumus, onus excutiunt: itaque prælatorum & prædicatorum officium est admonere nos damni, quod per contumaciam subimus, & turpitudinis & inertię, & quàm magna sit vtilitas in parendo, & volendo quæ Dei sunt, excutienda sunt omnia & ante oculos ponenda; videndumq́; quod nonnulla quæ apud homines alta sunt, abominatio sint apud Deū Lucæ 16.

Et sicut arguenda sunt vitia eorum qui spernunt omnia; ita etiam & illi corripiendi sunt, qui sic afficiuntur constitutionibus, & consuetudini suæ, aut patriæ suæ, vt etiam litigent, & rixentur cum his, qui alias habent consuetudines, multo magis illi sunt reprehendendi; qui in his hęrent, & ad ea quæ Deus exigit, & propter quæ has constitutiones fieri fecit nolunt accedere. Itaque abhorrent ab eleemosinis; à pacificatione, à cultu interiore Dei, humanitate, & charitate, & à correptione facienda, aut sustinenda; qui iustificant semetipsos, quia in his exterioribus sunt aliquanto, quàm cæteri diligentiores, doceantur ergo hæc esse ex his, quę oporteat non omittere, sed illa priora esse, quæ oporteat facere omnibus horis, Matt. 25. Lucæ 11.

Interdum etiam explicanda est aliqua constitutio, & ostendendum quàm vtilis ea sit moribus, & religioni: & quam vim, & quàm originem habeat, & quam consentanea sit diuinę voluntati; vt, verbi gratia, si declaretur constitutio de confitendo saltem semel in anno, quæ his grauior & molestior om-

ni lege Moses videtur, nā si recte declarabitur, ostendetur eam eße facillimam, & maxime ad Christianam libertatem conducere, cum enim metus sit, ne quis obduretur fallacia peccati, ad Heb. 3. & ne qua radix oriatur, quæ impediat alios, statutum est, vt saltem semel in anno quisq; suo se Pastori ostendat, illi scilicet cui de ipso Deus curam mandauit, vt non decipiatur & obduretur fallacia peccati, neque in malas aliquas opiniones delabatur, neque crassiore conscientia incipiat pro peccatis nō habere, quæ maxima sunt peccata, ita liber à peccatis vere efficitur liber, qui si sibi ipsi indulgeret, & non sese vellet ostendere sacerdoti suo, fieri posset, vt catenis peccatorum obstrictus, decederet nunquam amplius liberandus, quid ergo vult ea constitutio? an vt quisquàm seruus sit? minime, sed vt quisque quàm celerrime, aut saltem tam cito vt annum non prætereat, quærat libertatem & assertorem à peccato, idque vt nō frustra quærat, remittit ipsum ad eum, qui potestatem habet à Christo remittendi & retinendi peccata, & qui sciat infundere vinū, & oleū; vt scilicet non à peccatis modo: sed etiam ab ignorantia, ab impudentia, à pusillanimitate, & cæteris humanis infirmitatibus per Dei gratiam liberet; vult ne sese quisquàm in periculum coniiciat repentinæ mortis, sed comparatum esse vult, & obediat Domino, qui dicit: Estote parati, Matt. 24. & 25. Vult item vt per hanc occasionem Sacerdotes studeant ad suorum salutem, & suam eruditionem, quandoquidem

dem vident cogi se quot annis audire suos: & monita illis salutis dare, quod si tam frequenter non fieret, vix quisquam in id incumberet: Itaque homines multi absque idoneo sacerdote decederent, ad hæc & ipsi insueti confessionis obirent multa cũ perturbantur; & multiplicitate peccatorum obruti desperarent. multa de vtilitate huius constitutionis dici possunt, quæ faciant animos ad respuendos eos, qui contradicant, & ad refutandas diaboli sugestiones, & carnis, quibus vt graue onus infamatur confeßio: cum verius sit oneris depositio, non onus.

At dicunt, præcipit dici omnia peccata, id quod est impoßibile, non præcipitur impoßibile; sed facilitatur magis, nam cum nemo omnia delicta intelligat; atque ideo periculum sit ne decipiant, cautio est vt frequentius confiteamur, quia Christ9 in medio nostri est, ad detegenda, & auferenda peccata, Matt. 18. multo magis si sacerdos adsit, cui dedit hanc potestatem, Ioan. 20.

Postremo docentis modo declaranda est quæ obedientia filiorum, vxorum, seruorum, & quæ officia Dominorum & patrum, & quæ sint præcipienda, nam hoc quoque multum refert scire pro pace conscientiarum timoratorum; & pro refutanda contumacia & superbia eorum, qui sibi ipsis nimis placent, seque ipsos pastores, & reges constituunt sui ipsorum.

DE CERIMONIIS.

CAP. XV.

DICENDVM est etiam nonnunquàm de cerimonijs, ne scilicet tantummodo pro corporali exercitio habeantur, sed intelligat populus eas etiam ad significandum adhiberi. Et primo quidem, vt omnia ordine in Ecclesia fiant. Secundo vt animus per ea visibilia ad contemplanda inuisibilia & spiritualia significata attollatur, & exerceatur, quoniam cerimoniæ illæ pro quadam memoria sint beneficiorum & operum Dei, & pro admonitione gratitudinis, & cultus nostri erga ipsum. Itaque particulariter aliqua cerimonia vel dierum, vel vestium, vel aliarum rerum, declaranda est, vt si declaretur cerimonia sextæ feriæ in hebdomada sancta, quid illa signa mæstitiæ significent, scilicet id temporis Ecclesiam Christi pro nihilo videri in mundo potuisse: ad hæc, mundum tanto scelere sese obstrinxisse, vt filium Dei interfecerit, ita de reliquis, nam declaratæ sunt nonnullæ à Doctoribus, quæ prædicatoribus præbent materiam ad mores hominum vel corrigendos, vel dirigendos.

Ad hæc, adhortandi sunt ministri ut suas cerimonias tractent, & peragant diligenter, ac etiam quantum fieri possit deuote & amanter, quia non modo seruiunt populo, sed etiam suis promissis. nam propte

rea

rea salaria ab Ecclesia recipiunt: vt ergo sint fideles, diligentiam adhibere debent ad eas adiscendas & præstandas: ne perturbatio sit & inconcinnitas, sed deuotionem & cultum addant, neque sese putent nihil agere, quia cerimoniæ sunt, nam primo, satis multum agunt, quia seruant promissa, & conducti ad hoc ab Ecclesia suum explent munus, hoc est Deũ colere, qui vult nos veraces esse, & promissis stare: præterea seruimus deuotioni populi, & eum attentũ facimus, vt putent rem seriã agi, cum in templis versantur. Tertio, quia nõ in operibus est iustitia nostra, Deus enim non eget operibus nostris, sed in acceptatione sua: illa ergo opera, quæ ipse acceptat, quæcunq; illa sunt, probantur, & ad iustitiam reputãtur. Itaque etiam si distribuero omnes meas facultates pauperibus; & tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil sum, 1. Cor. 13. Ex charitate ergo valent opera, & non ex seipsis, similiter de fide dicendum est, si omnia fecero absq; fide nihil sum, quia impossibile est sine fide placere Deo, ad Heb. 11. Cum fide autem & charitate seu manducamus, seu bibimus, seu quid aliud facimus, omnia in Dei nomine facere debemus, 1. Cor. 10. ad Coloss. 3. quia scilicet Deo sacrati sumus, & nostra illi placent, vt suorum; neque inanis est labor noster in Domino, 1. Cor. 15. in fi. Iccirco etiam & cerimoniarum labor noster, non est inanis in Domino; quem scimus nõ egere operibus nostris, sed omnibus nostris operibus delectari, quę non sint contra præcepta sua,

ſtú Deum

atque ideo in omnibus colere episcopum debemus.tempore ergo cerimoniarum tempus eſt cultus Dei, per eas cerimonias,non ſunt id temporis alia opera accerſenda, nam diabolus ſuggeret quidem cogitationem aliorū magis vtilium operum, vt inducat opinionem operum tanquam Deus illis egeat, item vt perturbet Eccleſię ordinem, item vt faciat nos infideles,ut relinquamus opus ad quod conducti ſumus,& propter quod ſalaria accipimus, itē vt iudicemus Eccleſiam, & prælatos; vt contumaces efficiamur,item,vt ſaltem quod agimus frigide & contemptim,& cum ſignificatione noſtræ mirabilis ſapientiæ,& ſtultitiæ, ita inſtituentium,peragamus, vt ſuperbiamus, & nos plus cęteris ſapere videamur.

Sed aliquis de ſe dicet, certe ego experior, quod dum cerimoniis diligenter obeundis vaco: non ſatis ipſe animum ad Deum attollo,ſed reſpondendum eſt, nom cerimoniæ tantum in Eccleſia & alibi noſtram deuotionem impediunt: certe Deus etiam in manducando & dormiendo,& in omnibus operibus noſtris colendus eſt,neque tamen pro noſtra fragilitate poſſumus ſemper animum intentum habere, ſed ſatis eſt, vt ita nos dederimus Deo: vt nihil non in eius honorem per nos actum velimus: præterea dicendū eſt nobis ipſis,nunc hoc agimus,nunc non noſtræ, ſed Eccleſiæ deuotioni ſeruimus,participes ſumus omniū timentium Deum: quòd nobis deeſt deuotionis ſuppletur in Eccleſia à fratribus noſtris: ipſi orent pro nobis, ipſi participabunt, & communicabunt nobis

quæ

quæ plus habent, nam vnum in Christo sumus, quàm multi prędicando, adhortando, laborando, vt alij in officio suo sint, relinquunt interiores contemplationes scientes sese nihil ammittere dum curant filijs, & fratribus suis

Alij dicent Christus cerimonias posthabendas dixit misericordiæ & charitati. quis hoc negat? sed non oportet vt quis sibi ipsi fingat id temporis necessariam misericordiam & charitatem, nam si casus repentinus occurrat, tota etiam Ecclesia succurret misericordiæ: sed cerimoniæ omnes forte non ob aliud magis fiunt quàm vt extet etiam publicus Dei cultus, vt populus sciat Deum esse rectorem omnium, nihilq; casu accidere: sed summa ipsius prouidentia; vt affectus his opinionibus in templo decernat cum animo suo misericordiam facere: & egressus è templo faciat & domi, & foris. cerimoniæ igitur omittendæ nō sunt nisi vbi articulus est, vt aut ipsæ, aut opera necessaria ad salutem omittenda sint. nam grauiora illa iudicium & misericordiam facere oportet & ista leuiora non omittere, nam hæc propter illa fiunt, vt ad illa scilicet, simus magis prompti Matt. 23. Luc. 11.

At sunt nonnullæ cerimoniæ nimis longæ & laboriosæ. erunt illæ fortasse bis, aut ter, toto anno, cæterū in his consulendi sunt superiores vt moderentur inutiles, & multum laboriosas: quæ etiam tædium populo, & pijs faciunt, nam in his vigilare debent prælati, sic tamen agant vt non contemptores videantur cerimoniarum, sed scientes quid cuiq; rei tribuendū sit.

Nam videmus aliquibus in locis, in cantibus ac sonis pretergressam mēsuram sanctorum: sanctis enim ista non placent, vt qui uellent intelligi quid canatur: & non obscurari dulcedine cantuum & sonorum; quoniam non hic, vbi periculosa est: sed in patria nobis futura sit voluptas: veruntamen, quia neq; obuiam ire possumus voluntati maiorum, & quia etiā ipsi aliquid sequuntur quod bonum sit, boni consulendum est, & animus attollendus ad diuina, vt his corporalibus nobis, vt cūq; spiritualia representari cogitemus: & Deum oremus ipse faciat ne illecebra illa cuiquàm noceat, sed potius eū cōuertat: qui à foro ad templa concurrunt tantum, vt eam hauriant voluptatem & aures mulceant, nam & Ecclesia his etiā vtitur, ne ad theatra & lasciuas cantiones abeamus. orandum est igitur, vt omnia bene vertant, & id docendi sunt homines vt sobrie his vtantur, neque facile reprehensores aliorum fiant, ne superbiant, & suū iudicium superioribus preferāt; sed sint vt serui Dei, nam Deus ipse superiores docebit: quos & nos humiliter admonere debemus, non vt non fiant expensæ graues in Ecclesia: quæ melius pauperibus distribuerentur, nam hec est quædam sapientia carnis, & Satanæ sub obtentu pietatis, horret enim cultum Dei, & Ecclesias frequentari, ex quibus animi afficiūtur, & eleemosinas faciunt, qui si nihil sale in ecclesia fieret, si non in ea detinerentur, nullæ fierēt eleemosinæ, nam vbi spernitur publicus Dei cultus, deest testimonium in ciuitate publice pietatis, & ita Deus irascitur,

tur, & famem immittit, vt Agei. 1. est videre., scit etiam Satan quod si impensæ illæ cerimoniarum minuantur, amputabitur quidem cultus illę splendidus, sed non propterea pecunię illæ pauperibus erogabuntur, nam scit quid fiat, non ergo propter impensas: quasi vlla impensa immodica esse poßit in cultu Dei, sed ne his suauitatibus populus seducatur ad similes suauitates: easq́; carnales, moderandæ dicantur cerimoniæ cum videntur nimiæ: sed ea diligentia in cerimonijs adhibeatur, vt populus veniat, sed simul aliquid in Ecclesia discat, sit ergo quàm fieri potest frequens prædicatio, & declaratio verborum Dei: eaq́; breuis: vt non grauentur animi, neque refugiant, sed doceantur. nam video cum post vesperas in Ecclesia legitur, plenam esse Ecclesiam, sed priusquàm lector accedat, multos abire tanquam ad eos nihil pertineat lectio, aut tanquam ipsis ea opus non sit, & remanere quàm paucos: fortasse plures remanerent si breuem & vtilem concionem sperarent.

Et quidem declarandum est quam libenter etiam longas cerimonias & cantus ferunt: quia scilicet cōfabulantur, & ociantur, & quam nolint vel breuißimas ferre conciones: credo veriti ne conscientia eorum verbo Dei feriatur. docendi ergo sunt pauci illi; qui audiunt, vt orent pro reliquis & pro seipsis: gratias agentes Deo quod nō sinat eos cum tam multis abire; sed permittat, immo & faciat in officio manere, & verba Dei audire, id non frustra factum debent sperare, sed & ipsos domi apud proximos suos;

quos vident importune discedere, concionari quodãmodo debere & referre quæ audierint, vt sic & illi attrahantur, & non negligendum putent quod in Ecclesia Deus verba velit à sacerdote fieri, præsertim cum de bonitate sua erga nos, & nostra ingratitudine erga se tractari Deus velit.

DE CVLTV DEI INTERIORE ET EXTERIORE.

CAP. XVI.

CVM agetur de cultu Dei, id quod in omni re agitur, nam omnibus in rebus colere ipsum debemus, ostendendum est hominibus nos Deo debere omnia nostra, seu interiora, seu exteriora sint. Itaque ad Ro. 10. dicitur corde creditur ad iustitiam, ore autẽ confeßio fit ad salutem. & Psal. 150. Laudate eum in tympano & choro, &c. & Matth. 5. & 6. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videantur opera vestra bona, &c. Et cum facis eleemosynam noli tuba canere, &c.

Illud item admonendi sumus omnem hominem ex se ipso esse vanitatem. Psal. 38. Itaque oportere renasci, & innouari, vt simus noua creatura, Ioan. 3. ad

ad Rom.12.ad Gal.5.ad Eph.6.

Vt ita poßimus Deum sanctè colere, nam antequàm renascamur spiritu Dei, seu interiore, seu exteriore cultu Deum colamus, nihil est. quia sumus vanitas, & quia Deo non placemus, primæ Cor.13. ad Heb. 11. Oportet ergo ex ipso habere fidem, & charitatem, & spiritum bonum, quo ipsi placere possimus, ex eo procedant oportet opera nostra interiora, & exteriora, vt Deo placeamus: quia ne cogitare quidem sufficimus bonum. 2.Cor.3. sed tamen & illud sumus admonendi, quod etiã ꝙ non nisi naturalia haberemus, tamen ex his quoque nos Deum colere debemus, vt fideles saltem simus, in hoc talento naturæ, cum spe, fore ut Dominus supernaturalia nobis addat, quæ faciant ad renascentiam nostram, vt nulla gens excusare possit quod non habeat aliquid quo Deum colat, sed de iis, qui foris sunt, permittamus Deo: nos tantum pro ipsis oremus, etiam si maximi hostes nostri sint, vt simus filij Dei Matth. 5. de nobis autem qui Christiani iam sumus sentiendum est, ꝙ in baptismo omnia habeamus. Ita vt diuites, facti simus in omnibus, vt.1.Cor.1. sed quoniam peccantes multa prodegimus; redeundum est ad Deum nostrum, & ex ipso petendus spiritus, & bona omnia: idq; importune, & fide certa obtinendi, Matt.7. Mar.11.Luc.11.Iac.1.neq; interim, dum petimus, excusemus nos aut ignauiam nostram, sed talentum, quodcunque habemus, exerceamus, vt, verbi gratia, timeo Dominum, nondum ipso amo, nondum in ipso

confido, tamen exerceam talentum timoris, & ob ipsius timorem abstineam à peccando, ob ipsius timorem accedā ad orationes, ad prædicationes, ad sacramenta: ob eundem timorem eleemosinas faciam: & hæc quidem in fide bonitatis Dei nostri, sperantes ex ipso tandem assequuturos nos charitatem, quæ foras timorem exigat. Ioan. 4. Nō ergo stulte desideamus, quia absque fiducia, & charitate, nihil est quod agimus; nam id verum est in ijs: qui neque fiduciam, neque charitatem quærunt, in ijs autem qui hæc dona Dei quærunt, aliquid est, itaque Eccl. 2. & 3. dicit vt timori fiduciam adiungamus, & primæ Cor. 13. vbi dixit absque charitate nihil sum: subiecit, itaque charitatem quęreremus, ex quo conficitur quod & cum sumus absque charitate aliquid sumus ad quærendā charitatem, & fides vt alibi, diximus inter alia miracula, quæ facit impetrat charitatem, sic de alijs Dei donis dicamus. nam multa nobis etiam, peccatoribus restant ex his, quæ in baptismo & alijs sacramentis accepimus: præter quàm quod etiam quotidie & in horas à Domino visitamur: vt multa nobis sit occasio Deum colendi ex donis suis, & licet interdum nobis donis omnibus priuati uideamur, vt neque timorem, neque amorem, neque fidem, neque respectū vllum erga Deum nobis esse videamus, tamen naturali saltem ratione fideles simus, vt exteriora cum alijs peragamus, quæ videntur ad Dei gloriam pertinere: vt sunt genua flectere, caput detegere, eleemosinas facere: orare cum alijs, astare missæ & concio-

nibus

nibus tanquam expectemus pluuiam salutarem, ariditatem nostram confessi; & simul ipsam nostræ culpæ imputantes & vanam gloriam si qua obrepserit, reprehendentes.

Colitur autem Deus interiori cultu, fide, spe, charitate, patientia, & alijs virtutibus animi, ex quibus profluunt exteriora, faciamus id exemplo clarũ.

Aliquis me superbe angariat, ut vadã cũ ipso unũ miliare, hic ego recordatus verbi Christi, credam hoc non frustra aut casu fieri, sed à Deo id vel permitti, vel fieri, vt in me ostendat virtutem suam ad salutem & meam, & aliorum, & etiam angariantis ipsius, aut certe ad correptionem & meam, qui videre potero repugnantiam carnis meæ, & illius, qui suam poterit agnoscere arrogantiam ex obedientia mea, si fidelis fuero Deo meo, ita fide colam Deum credendo quæ dixi, colam item spe & fiducia, sperans atq; etiã confidens habiturum me auxilium & præsentiã Dei in faciendo, quę Christus in hoc dixit, Matt. 5. faciendo

Colam charitate agnoscens, quàm magnum beneficium Dei in me, quod hoc à me vult, quod me dignũ fecit, cui ista committeret. Videbo igitur eius in me amorem, & gratias agam, & vt est pro magno beneficio ducam quod id mihi cõmendauerit, et vicißim amans ipsum parebo, vt honorem consilium & iudicium ipsius: itaque amore ipsius mandãtis: etiam vt nihil aliquid futurum esset: exequar magna hilaritate quod ille commisit, & vadam cum illo non vnum tantum, sed duo miliaria, idq; faciam quoq;

ex charitate erga illum, qui me angariat, vt me faciam omnibus omnia, & omnes lucrifaciam Deo, 1. Cor. 9. Conabor itaque illa alacritate facere, vt ille possit agnoscere me seruum Dei esse: atque ideo & sibi seruire, vt Deo seruiam: vt agnoscat quam suauis est Dominus, & ita ipse quoque discedat à superbia, & mala sua libertate, & seruus Dei efficiatur, & omnia agam in fide, & spe maiore etiam quam prius, quia charitas omnia credit, omnia sperat, primæ Cor. 13. scilicet fore, ut efficaciam habeat obedientia mea, uel ad conuersionem huius, uel alterius, uel certe mei, aut saltem ad iustificandum consilium, & iudiciū Dei, ita ut neq; ille, neq; ego, aut quisquā alius causari possit nobis non esse datam occasionem exercendæ amicitiæ Dei. & si quidem illum etiam arrogātiorem factum uidero ex obedientia mea, neque agnoscentem officium meum, & Dei donum, alios quoque cum eodem existimare me non religione in Deum, sed metu in homines obedisse, colam Deū patientia certissime credens Deum hæc omnia prospicere, neque frustra fieri sinere, sed habere suum tempus, itaque ipsum nunc uelle, ut ego ex benefacto infamiam referam, ut cum uolet ipse ostendat quid actum sit, non mihi non meæ gloriæ seruiendum est, sed gloriæ Dei ipse Deus, qui nouit quid actum sit, cū uolet, & hominibus notam faciet gloriam suam in me, idest me propter se, & non propter homines paruisse et honori suo seruiße, non timori meo, aut aliorum; ipse enim debeo relinquere arbitrium gloriæ

suæ

suæ utendę. & non mihi assumere debeo, ut quòd feci in gloriam suam, uelim ante tempus manifestare tanquam sim meus, aut ego meliore prudentia sim quàm Deus. satis sit quod feci, ut potui, ut homines uiderent opera bona, & glorificarent Deum, qui est in cœlis, sed ego eis mentis oculos dare non potui: eos Deus illis cum uolet dabit, cui ego seruio & in patientia, & simul etiam considerabo, fortaße & aliquid peccatum esse à parte mea, ut nō omnibus partibus sincere me gesserim, atque ideo Deum noluisse uti in gloriam suam eo facto meo, idque ego patienter feram: orans ut mihi remittat quod neglexi, aut peccaui, & simul spiritum bonum donet, quo rursus ut his & aliis sibi digne seruiam: ut non sinat tentari me absque quod prę ueniat me gratia sua: ut eueniat quod ipso dignum est, ut solet ipse fidelis primæ Cor. 10. preterea si bonum est quod feci, etiam quòd nemo id mortalium norit, Deus in ipso glorificatur in conspectu sanctorum & angelorum suorum, & bonorū & malorum. Iob. 1.

Et hæc quidem oratio, qua petimus præueniri gratia & misericordia Dei, omne opus nostrum debet pręcedere, nam si spiritu Christi caremus, non sumus ipsius ad Ro. 8. quare præterquam quòd omnia perturbate & indigne Deo ageremus, ut qui sine ipso nihil possumus, Io. 15. 2. Cor. 13. tamen etiā si ageremus felicißime, & cum omnibus illis circunstantiis et respectibus, de quibus modo diximus, tamen essent opera uirtutis nostræ; & non spiritus Dei & dono-

rum eius. Itaque uana omnia: ut omnis homo intus extraq; uanitas est, Ps. 38. & mēdax Ps. 115. sed tantum fideles diceremur in talento naturali, quod quidem: cum aliud non habemus, spernendum nobis non est, sed tamen orandum & expectandum, ut dignos nos Deus habeat uocatione sua: & donis nos honestet necessarijs & conuenientibus eis, qui baptizati sunt in nomine suo, ne inter gentes cōputemur, et in hoc patientes esse non debemus: ut desideamus, & non instantissime hunc spiritum bonū petamus, nā talis patientia non est mandata, aut comendata nobis, qui debemus renasci, & noua esse creatura: & pro perpetuo Deum honorare: & seruire ei ex suo magis, quàm ex nostro: cum nostro.n.magis peccamus, quam seruimus, & renascentia uocati simus, quæ non sit spiritu nostro, sed dono suo, uocati enim sumus in militiam suam ægri egentes & inermes, pugnaturi non solum aduersum carnem & sanguinē sed aduersus prícipes & potestatis æris huius. Itaq; nobis opus est sanitate diuina & armatura eius ad Eph.6. cum non modo ægri, sed & mortui simus, & uiuificandi spiritu suo: & quidem cum debeamus gratia Deo seruire, agnoscimus id nos non posse: Itaque nobis opus esse arra, & ueste nuptiali, arra bene magna, qua mortem & languores nostros auferamus & armemur, & stemus, aduersus hostes Dei, nec stemus modo, sed ea etiam animemur & roboremur ad debellandos eos, eijciendosque è finibus nostris. Ita ut si abire nolint prosternamus eos conterente Deo

satanam velociter sub pedibus nostris, ad Ro. 16.

His armis freti & hac sanitate uenimus ad exteriora, ut ad preces cõmunes, aut priuatas ad audiendum predicationes & missas, ad genua flectenda; ad eleemosinas corporales & spirituales faciendas, ad resistendum diabolo & peccato, ad opera eius destruenda, & cum nos non tam armatos uidemus, tamen in cetu aliorum stamus, & presertim meliorũ, ut quando medius sit Christus, Matt. 18. ipse etiam per eos & exemplo illorum, nos quoque sanet, roboret, armet, atque animet ad digne secum ambulandum, utimur confessione, comunione, sacramentis his frequentabilibus frequenti pace, & eleemosina danda: & petenda à sanctis hominibus, quo citius importune agere cum Deo discamus, ut det nobis spiritum bonum, Lucæ. 11.

Esterior ergo cultus non est negligendus, immo & frequentandus est, vt exemplum bonorum sequamur, & alios attrahamus, neque sinamus collectionẽ nostram dissolui, in qua Christus est, non ergo sequamur nimium prudentium vanitatem, qui ob id quod Deus vbiq; sit, & ubiq; colendus; & quia in spiritu & veritate coli velit, Ioan. 4. Iccirco non putãt sibi templa frequentanda, nam sic dicere videntur & facere contra seipsos, si enim Deus vbiq; est, & coli vult in spiritu & veritate: ergo etiam in templis est, & ibi quoque coli vult in spiritu & veritate, & templum est domus Dei, & domus orationis cunctis gẽtibus, Es. 56. Matt. 20. Mar. 11. Et ideo An-

na non discedebat è templo, Lucæ 1. præsertim cum in templo multa sint in memoriam beneficiorum, & operum Dei in nos, quæ spiritum nobis possunt excitare ad colendum Deũ in fide & charitate, quæ sunt opera Spiritussancti, ad Gal. 5. præterea ipsa Ecclesia & collectio fidelium contemnenda non est, vt in qua sit Christus, Matt. 18. & quæ columna est, & firmamentum veritatis, primæ Timot. 3.

At solent homines indeuote in templis versari. at non id omnes multi enim digne conuersantur, & tu ergo debes accedere, vt sumas exemplum à pijs, & tuo exemplo eos corrobores, & arguas impios, qui te videant piorum more in templis versari; neque irrisiones eorum verearis; sed magis Deum time: & pro magno beneficio habe quod datur tibi, vt ipsum confitearis in generatione peccatrice, dole vicé generationis peccatricis, & ora pro ea, & agnosce beneficium Dei in te, qui sinat malos viuere, & in templis etiam male agere, quo sit tuus cultus acceptior comparatione propter illos, & simul instanter pro illis roga, quia tibi quoque magis prodesset, si omnes digne Deo ambularẽt, nam & tua augeretur pietas, & in Deum charitas. ita importune petentes spiritum bonum debemus omnia nostra facere in fide: tanquam habuerimus iam spiritum Dei: aut certe habituri iam iam simus, & operibus velimus eum exercere: vt non contristemus eum, Eph. 4. primæ Thes. 5. sed nutriamus & foueamus donec in nobis, ita crescat vt regnet, ita vt non agamus tantum spiritu

ritu Dei, sed agamur ipso, & ipse oret, & faciet omnia in nobis per nos, & pro nobis, ad Rom. 8. Videamus ergo, vt quolibet die opus aliquod agamus cum exercitio illo fidei, spei, & charitatis, & patientiæ, vt supra diximus in exemplo, dum angariamur vt ita sensim assuescamus exercere dona Dei, quibus omnibus in rebus vti debemus, vt omnia cum fructu & non frustra peragamus, quia sic labor noster non erit inanis in Domino, primæ Cor. 15.

Exterior autem cultus non sit tam multus & impeditus, vt impediat animi exercitationem, sed talis, sit qui nutriat & exerceat dona Dei, veruntamen, quia etiam & ministri interdum Ecclesiæ sumus, et exteriores cerimonias dum tractamus, fatigamur ita vt non possimus menti vacare, faciendum vt supra in tit. de Cerimonijs dixi, vt scilicet Deum oremus boni consulat, vt quam nobis nō dat, det Ecclesiæ attentionem. Vnus enim obit multas cerimonias: quarum vnam vnus, alteram alius considerat, nam & Ecclesia ipsa in singulis quibusq; vellet omnes considerare, & ipsa distraheretur, vt nullam cerimoniam digne acciperet dū ad alias properaret, neq; suam fidem, & deuotionem recte exerceret, nunc autem Ecclesia dum hanc cerimoniam per illum, illā vero per alium considerat, tota ædificatur, & Deum in cerimonijs recognitum adorat in spiritu & veritate; gratias ei agens eorum, quæ per cerimonias significantur.

Et in Ecclesia, & in cultu Dei illud agendum est,

eius Matth.6. datum ergo nobis eſt petere, quærere,& pulſare, vt Deus donet nobis ſpiritum bonum, & ſecundum illum nos renaſci faciat, facit autem id & prædicationi & ſcriptis Apoſtolorum, & Prophetarum, & eorum qui illa nobis declarant, facit per vexationes,& per ſecundas res, per magiſtratus,per amicos,per angelos,& per ſemetipſum in ipſis & abſque ipſis. Itaque ſemper eſt orandum & nunquam ceſſandum: nam alioqui aut opera bona non faciemus;aut ſi faciemus, faciemus ſpiritu carnis noſtræ in hypocriſi, aut in aliqua alia peiore circunſtantia;aut certe perturbatione: & reſpectu non ſano. Præterea etiam cogitationes noſtræ in operibus indifferentibus: & in his etiam quæ ad vitam neceſſaria ſunt, omnia inquinabunt, aut certe, quia non referent omnia in Deum, facient vt in his labor noſter ſit inanis, & ita non colemus Deum in omnibus.

Vnde maior caſus poßit expectari, nam qui modica ſpernit, non ditatur, & paulatim decidit. Eccl.19.

Sunt & ſpirituales quædam actiones in quibus cultus Dei conſtituitur, quas nonnulli impugnant, de quibus ſingulariter dicetur ſuo loco,vt ſunt, vota, & cælibatus,Ieiunia,& alia quædam.

DE PROPRIA CVIVSQVE VOCATIONE.

CAP. XVII.

DOCENDI sunt homines, vt certam faciant suam electionem, & vocationem, 2. Pet. 1. vt nunc in hunc sensum sumamus, vt quisq; norit, ad quid eum Deus vocarit, neq; velit egredi vocationem suam, sed in ea sit fidelis, & expectet quid agat Dominus; ipse, si videbitur, vocabit superius, ne se quisquā ingerat non vocatus, vt prima Cor. 7. Heb. 5.

Atque hic arguendi sunt, qui ex idiotis, & quibus impositæ manus non sunt, ad docendum sese ingerunt, vt Doctores fiant, ea ratione moti quòd omnes, qui Christi sunt, spiritum habent Christi, ad Rom. 8. & quod non indigent, vt quisquam eos doceat, 1. Ioa. 2. quia Deus docet eos, Hier. 31. Es. 54. Ioan. 6. non enim intelligunt quæ dicunt, datur quidem spiritus Christianis, sed ad mensurā, & vnicuique pro ea vice, quam habet in corpore. Itaque non omnes Doctores, non omnes Prophetæ, sed vnicuiq; prout Deus diuisit. Ita agendum & sentiendum est, & non altum, id est supra suam mensuram sapiendum est, ad Rom. 12. prima Cor. 12. ad Eph. 4. prima Cor. 14. Quisquis ergo sumit sibi munus Docto-

ris non vocatus cũ sit ex his quos Deus per suos Doctores docet, nã Deus quidẽ docet, Deus est qui loquitur in doctoribus, Matt. 10. 2. Cor. 13. Et is inquã qui doctoris sibi assummit munus, cũ non sit, iã non vtitur spiritu Christi, sed spiritu carnis suæ, & Satanæ, qui potestates contemnit, & ordinem Dei, habet spiritum Christi si maneat in vocatione sua; & intelligat sacras literas quantum ad suam faciant vocationem. Nam multa sunt in sacris literis obuia omnibus, & scripta sunt omnibus, & sunt de quibus non cõtrouertitur, vt de diligendo Deo, & proximo, de dilectione Dei erga nos, & operibus, & beneficijs eius; cætera seruat Deus doctoribus, & vult per eos ea nos docere. Itaque vult nos humiles ad eos accedere, vt ab his tanquam è templis Dei referamus responsa ipsius Dei, à quibus sæpe etiã quæ clarissima videbantur, & erant, fiunt multo clariora; quia sic nos docet Deus, qui etiam humiles facere vult, dum fatigat nos, & cogit ad alios interrogandos. ac ne quis de hoc dubitet, apparet ex his qui in alienas functiones irrumpunt, quàm sint tota vita arrogãtes, & perfracti, vt quisque videre possit quã præcipiti & malo spiritu agãtur, vt nisi quis seipsum velit decipere, qui non sit simili abreptus spiritu vertiginis, dubitare nõ poßit eos alienos esse à regno Dei quoad talia agunt.

At dicunt, Deus etiam rusticos facit prophetas: quis hoc negat? sed quod testimonium habent ij, quod spiritu Dei agantur, cum egrediuntur suam vocationem?

tionem? an non & Satanas suos prophetas facit, vt si vnum prophetam Dei videas, visurus sis continuo quadringentos malos prophetas, vt 3. Reg. 22. facile est mentiri, & furari verbũ Dei, & magno ipsorum malo, qui mentiuntur: non enim nouũ est, vt currant non missi, & loquantur à se ipsis mẽdacia, Hier. 23.

Sic & in Republica, & multis locis aliena occupantur munia, & tyrannides eriguntur, & fit & religionum, & ciuitatum perturbatio.

At videmus doctores, & pastores, & rectores nostros negligere, aut etiam seipsos tantum pascere, & gregem perdere: volumus nos occurrere. quis vos ad hoc vocauit? Dominus dixit, Matt. 9. orетis Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, & ventu[illegible]m dixit Dominum, vt puniat negligentẽ superiorem, non vobis hoc mandauit, Matt. 24.

At resistere uolumus hæreticis, ut Deut. 13. Denunciate superioribus, & cauendos ostendite eos, qui vere sunt hæretici: & iuuate eos. cur vos eos, qui catholici sunt, traducitis tãquam hæreticos: tanquã Ecclesia omnis errauerit, erretque, & vos idiotæ repente plus omnibus sapiatis? an totam Christus Ecclesiam suã reliquit, & vobis adhæsit? agnoscite ergo vos alieno spiritu, illiq; contrario, qui Christi Ecclesiã regit, seductos esse, atq; in transuersum actos.

Et quidem in hijs arguendis, & in populo, vt à talibus abstineat, docẽdo vigilandum est, nam sæpe multum Ecclesiæ arrogantes spiritus nocuerunt, & in spiritualibus, & ĩ secularibus administrationibus,

quos vident importune discedere, concionari quodãmodo debere & referre quæ audierint, vt sic & illi attrahantur, & non negligendum putent quod in Ecclesia Deus verba velit à sacerdote fieri, præsertim cum de bonitate sua erga nos, & nostra ingratitudine erga se tractari Deus velit.

DE CVLTV DEI INTERIORE ET EXTERIORE.

CAP. XVI.

CVM agetur de cultu Dei, id quod in omni re agitur, nam omnibus in rebus colere ipsum debemus, ostendendum est hominibus nos Deo debere omnia nostra, seu interiora, seu exteriora sint. Itaque ad Ro. 10. dicitur corde creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutem. & Psal. 150. Laudate eum in tympano & choro, &c. & Matth. 5. & 6. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videantur opera vestra bona, &c. Et cum facis eleemosynam noli tuba canere, &c.

Illud item admonendi sumus omnem hominem ex se ipso esse vanitatem. Psal. 38. Itaque oportere renasci, & innouari, vt simus noua creatura. Ioan. 3.

ad Rom.12.ad Gal.5.ad Eph.6.

Vt ita possimus Deum sanctè colere, nam antequàm renascamur spiritu Dei, seu interiore, seu exteriore cultu Deum colamus, nihil est. quia sumus vanitas, & quia Deo non placemus, prima Cor.13. ad Heb. 11. Oportet ergo ex ipso habere fidem, & charitatem, & spiritum bonum, quo ipsi placere possimus, ex eo procedant oportet opera nostra interiora, & exteriora, vt Deo placeamus: quia ne cogitare quidem sufficimus bonum. 2.Cor.3. sed tamen & illud sumus admonendi, quod etiã ꝙ non nisi naturalia haberemus, tamen ex his quoque nos Deum colere debemus, vt fideles saltem simus, in hoc talento naturæ, cum spe, fore ut Dominus supernaturalia nobis addat, quæ faciant ad renascentiam nostram, vt nulla gens excusare possit quod non habeat aliquid quo Deum colat, sed de iis, qui foris sunt, permittamus Deo: nos tantum pro ipsis oremus, etiam si maximi hostes nostri sint, vt simus filij Dei Matth. 5. de nobis autem qui Christiani iam sumus sentiendum est, ꝙ in baptismo omnia habeamus. Ita vt diuites, facti simus in omnibus, vt. 1.Cor.1. sed quoniam peccantes multa prodegimus; redeundum est ad Deum nostrum, & ex ipso petendus spiritus, & bona omnia: idq; importune, & fide certa obtinendi, Matt. 7. Mar.11. Luc.11. Iac.1. neq; interim, dum petimus, excusemus nos aut ignauiam nostram, sed talentum, quodcunque habemus, exerceamus, vt, verbi gratia, timeo Dominum, nondum ipso amo, nondum in ipso

confido, tamen exerceam talentum timoris, & ob ipsius timorem abstineam à peccando, ob ipsius timorem accedã ad orationes, ad prædicationes, ad sacramenta: ob eundem timorem eleemosinas faciam: & hæc quidem in fide bonitatis Dei nostri, sperantes ex ipso tandem assequuturos nos charitatem, quæ foras timorem exigat. Ioan.4. Nõ ergo stulte desideamus, quia absque fiducia, & charitate, nihil est quod agimus; nam id verum est in ijs: qui neque fiduciam, neque charitatem quærunt, in ijs autem qui hæc dona Dei quærunt, aliquid est, itaque Eccl.2. & 3. dicit vt timori fiduciam adiungamus, & primæ Cor.13. vbi dixit absque charitate nihil sum: subiecit, itaque charitatem quæreremus, ex quo conficitur quod & cum sumus absque charitate aliquid sumus ad quærendã charitatem, & fides vt alibi, diximus inter alia miracula, quæ facit impetrat charitatem, sic de alijs Dei donis dicamus. nam multa nobis etiam, peccatoribus restant ex his, quæ in baptismo & alijs sacramentis accepimus: præter quàm quod etiam quotidie & in horas à Domino visitamur: vt multa nobis sit occasio Deum colendi ex donis suis, & licet interdum nobis donis omnibus priuati uideamur, vt neque timorem, neque amorem, neque fidem, neque respectũ vllum erga Deum nobis esse videamus, tamen naturali saltem ratione fideles simus, vt exteriora cum alijs peragamus, quæ videntur ad Dei gloriam pertinere: vt sunt genua flectere, caput detegere, eleemosinas facere: orare cum alijs, astare missæ & concionibus

nibus tanquam expectemus pluuiam salutarem, ariditatem nostram confessi; & simul ipsam nostræ culpæ imputantes & vanam gloriam si qua obrepserit, reprehendentes.

Colitur autem Deus interiori cultu, fide, spe, charitate, patientia, & alijs virtutibus animi, ex quibus profluunt exteriora, faciamus id exemplo clarũ.

Aliquis me superbe angariat, ut vadã cũ ipso unũ miliare, hic ego recordatus verbi Christi, credam hoc non frustra aut casu fieri, sed à Deo id vel permitti, vel fieri, vt in me ostendat virtutem suam ad salutem & meam, & aliorum, & etiam angariantis ipsius, aut certe ad correptionem & meam, qui videre potero repugnantiam carnis meæ, & illius, qui suam poterit agnoscere arrogantiam ex obedientia mea, si fidelis fuero Deo meo, ita fide colam Deum credendo quæ dixi, colam item spe & fiducia, sperans atq; etiã confidens habiturum me auxilium & præsentiã Dei in faciendo, quę Christus in hoc dixit, Matt. 5. faciendo

Colam charitate agnoscens, quàm magnum beneficium Dei in me, quod hoc à me vult, quod me dignũ fecit, cui ista committeret. Videbo igitur eius in me amorem, & gratias agam, & vt est pro magno beneficio ducam quod id mihi cõmendauerit, et vicißim amans ipsum parebo, vt honorem consilium & iudicium ipsius: itaque amore ipsius mandãtis: etiam vt nihil aliquid futurum esset: exequar magna hilaritate quod ille commisit, & vadam cum illo non vnum tantum, sed duo miliaria, idq; faciam quoq;

ex charitate erga illum, qui me angariat, vt me faciam omnibus omnia, & omnes lucrifaciam Deo, 1. Cor. 9. Conabor itaque illa alacritate facere, vt ille possit agnoscere me seruum Dei esse: atque ideo & sibi seruire, vt Deo seruiam: vt agnoscat quam suauis est Dominus, & ita ipse quoque discedat à superbia, & mala sua libertate, & seruus Dei efficiatur, & omnia agam in fide, & spe maiore etiam quam prius, quia charitas omnia credit, omnia sperat, primæ Cor. 13. scilicet fore, ut efficaciam habeat obedientia mea, uel ad conuersionem huius, uel alterius, uel certe mei, aut saltem ad iustificandum consilium, & iudiciū Dei, ita ut neq; ille, neq; ego, aut quisquā alius causari possit nobis non esse datam occasionem exercendæ amicitiæ Dei. & si quidem illum etiam arrogātiorem factum uidero ex obedientia mea, neque agnoscentem officium meum, & Dei donum, alios quoque cum eodem existimare me non religione in Deum, sed metu in homines obedisse, colam Deū patientia certissime credens Deum hæc omnia prospicere, neque frustra fieri sinere, sed habere suum tempus, itaque ipsum nunc uelle, ut ego ex benefacto infamiam referam, ut cum uolet ipse ostendat quid actum sit, non mihi non meæ gloriæ seruiendum est, sed gloriæ Dei ipse Deus, qui nouit quid actum sit, cū uolet, & hominibus notam faciet gloriam suam in me, idest me propter se, & non propter homines paruisse et honori suo seruiße, non timori meo, aut aliorum; ipse enim debeo relinquere arbitrium gloriæ

suæ

suæ utendę. & non mihi assumere debeo, ut quòd feci in gloriam suam, uelim ante tempus manifestare tanquam sim meus, aut ego meliore prudentia sim quàm Deus. satis sit quod feci, ut potui, ut homines uiderent opera bona, & glorificarent Deum, qui est in cœlis, sed ego eis mentis oculos dare non potui: eos Deus illis cum uolet dabit, cui ego seruio & in patientia, & simul etiam considerabo, fortaße & aliquid peccatum esse à parte mea, ut nõ omnibus partibus sincere me gesserim, atque ideo Deum noluisse uti in gloriam suam eo facto meo, idque ego patienter feram: orans ut mihi remittat quod neglexi, aut peccaui, & simul spiritum bonum donet, quo rursus in his & aliis sibi digne seruiam: ut non sinat tentari me absque quod pręueniat me gratia sua: ut eueniat quod ipso dignum est, ut solet ipse fidelis primæ Cor. 10. prętereà si bonum est quod feci, etiam quòd nemo id mortalium norit, Deus in ipso glorificatur in conspectu sanctorum & angelorum suorum, & bonorũ & malorum. Iob. 1.

Et hæc quidem oratio, qua petimus præueniri gratia & misericordia Dei, omne opus nostrum debet pręcedere, nam si spiritu Christi caremus, non sumus ipsius ad Ro. 8. quare præterquam quòd omnia perturbate & indigne Deo ageremus, ut qui sine ipso nihil possumus, Io. 15. 2. Cor. 13. tamen etia si ageremus felicißime, & cum omnibus illis circunstantiis et respectibus, de quibus modo diximus, tamen essent opera uirtutis nostræ; & non spiritus Dei & dono-

rum eius. Itaque uana omnia: ut omnis homo intus extraq; uanitas est, Ps. 38. & mēdax Ps. 115. sed tantum fideles diceremur in talento naturali, quod quidem: cum alíud non habemus, spernendum nobis non est, sed tamen orandum & expectandum, ut dignos nos Deus habeat uocatione sua: & donis nos honestet necessarijs & conuenientibus eis, qui baptizati sunt in nomine suo, ne inter gentes cōputemur, et in hoc patientes esse non debemus: ut desideamus, & non instantissime hunc spiritum bonū petamus, nā talis patientia non est mandata, aut comendata nobis, qui debemus renasci, & noua esse creatura: & pro perpetuo Deum honorare: & seruire ei ex suo magis, quàm ex nostro: cum nostro.n. magis peccamus, quam seruimus, & renascentiā uocati simus, quæ non sit spiritu nostro, sed dono suo, uocati enim sumus in militiam suam ægri egentes & inermes, pugnaturi non solum aduersum carnem & sanguinē sed aduersus prīcipes & potestatis æris huius. Itaq; nobis opus est sanitate diuina & armatura eius ad Eph. 6. cum non modo ægri, sed & mortui simus, & uiuificandi spiritu suo: & quidem cum debeamus gratia Deo seruire, agnoscimus id nos non posse: Itaque nobis opus esse arra, & ueste nuptiali, arra bene magna, qua mortem & languores nostros auferamus & armemur, & stemus, aduersus hostes Dei, nec stemus modo, sed ea etiam animemur & roboremur ad debellandos eos, eijciendosque è finibus nostris. Ita ut si abire nolint prosternamus eos conterente Deo

satanam

Satanam uelociter sub pedibus nostris, ad Ro. 16.

His armis freti & hac sanitate uenimus ad exteriora, ut ad preces cõmunes, aut priuatas ad audiendum predicationes & missas, ad genua flectenda; ad eleemosinas corporales & spirituales faciendas, ad resistendum diabolo & peccato, ad opera eius destruenda, & cum nos non tam armatos uidemus, tamen in cętu aliorum stamus, & presertim meliorũ, ut quando medius sit Christus, Matt. 18. ipse etiam per eos & exemplo illorum, nos quoque sanet, roboret, armet, atque animet ad digne secum ambulandum, utimur confessione, comunione, sacramentis his frequentabilibus frequenti pace, & eleemosina danda: & petenda à sanctis hominibus, quo citius importune agere cum Deo discamus, ut det nobis spiritum bonum, Lucæ. 11.

Exterior ergo cultus non est negligendus, immo & frequentandus est, vt exemplum bonorum sequamur, & alios attrahamus, neque sinamus collectionẽ nostram dissolui; in qua Christus est, non ergo sequamur nimium prudentium vanitatem, qui ob id quod Deus vbiq; sit, & ubiq; colendus; & quia in spiritu & veritate coli velit, Ioan. 4. Iccirco non putãt sibi templa frequentanda, nam sic dicere videntur & facere contra seipsos, si enim Deus vbiq; est, & coli vult in spiritu & veritate: ergo etiam in templis est, & ibi quoque coli vult in spiritu & veritate, & templum est domus Dei, & domus orationis cunctis gẽtibus, Es. 56. Matt. 20. Mar. 11. Et ideo An-

na non discedebat è templo, Lucæ 1. præsertim cum in templo multa sint in memoriam beneficiorum, & operum Dei in nos, quæ spiritum nobis possunt excitare ad colendum Deū in fide & charitate, quæ sunt opera Spiritussancti, ad Gal. 5. præterea ipsa Ecclesia & collectio fidelium contemnenda non est, vt in qua sit Christus, Matt. 18. & quæ columna est, & firmamentum veritatis, primæ Timot. 3.

At solent homines indeuote in templis versari. at non id omnes multi enim digne conuersantur, & tu ergo debes accedere, vt sumas exemplum à piis, & tuo exemplo eos corrobores, & arguas impios, qui te videant piorum more in templis versari; neque irrisiones eorum verearis; sed magis Deum time: & pro magno beneficio habe quod datur tibi, vt ipsum confitearis in generatione peccatrice, dole vicē generationis peccatricis, & ora pro ea, & agnosce beneficium Dei in te, qui sinat malos viuere, & in templis etiam male agere, quo sit tuus cultus acceptior comparatione propter illos, & simul instanter pro illis roga, quia tibi quoque magis prodesset, si omnes digne Deo ambularēt, nam & tua augeretur pietas, & in Deum charitas. ita importune petentes spiritum bonum debemus omnia nostra facere in fide: tanquam habuerimus iam spiritum Dei: aut certe habituri iam iam simus, & operibus velimus eum exercere: vt non contristemus eum, Eph. 4. prima Thes. 5. sed nutriamus & foueamus donec in nobis, ita crescat vt regnet, ita vt non agamus tantum spiritu

ritu Dei, sed agamur ipso, & ipse oret, & faciet omnia in nobis per nos, & pro nobis, ad Rom.8. Videamus ergo, vt quolibet die opus aliquod agamus cum exercitio illo fidei, spei, & charitatis, & patientiæ, vt supra diximus in exemplo, dum angariamur vt ita sensim assuescamus exercere dona Dei, quibus omnibus in rebus vti debemus, vt omnia cum fructu & non frustra peragamus, quia sic labor noster non erit inanis in Domino, primæ Cor.15.

Exterior autem cultus non sit tam multus & impeditus, vt impediat animi exercitationem, sed talis, sit qui nutriat & exerceat dona Dei, veruntamen, quia etiam & ministri interdum Ecclesiæ sumus, et exteriores cerimonias dum tractamus, fatigamur ita vt non possimus menti vacare, faciendum vt supra in tit. de Cerimonijs dixi, vt scilicet Deum oremus boni consulat, vt quam nobis nõ dat, det Ecclesiæ attentionem. Vnus enim obit multas cerimonias: quarum vnam vnus, alteram alius considerat, nam si & Ecclesia ipsa in singulis quibusq; vellet omnes considerare, & ipsa distraheretur, vt nullam cerimoniam digne acciperet dũ ad alias properaret, neq; suam fidem, & deuotionem recte exerceret, nunc autem Ecclesia dum hanc cerimoniam per illum, illã vero per alium considerat, tota ædificatur, & Deum in cerimonijs recognitum adorat in spiritu & veritate; gratias ei agens eorum, quæ per cerimonias significantur.

Et in Ecclesia, & in cultu Dei illud agendum est,

eius Matth.6. datum ergo nobis est petere, quærere, & pulsare, vt Deus donet nobis spiritum bonum, & secundum illum nos renasci faciat, facit autem id & prædicationi & scriptis Apostolorum, & Prophetarum, & eorum qui illa nobis declarant, facit per vexationes, & per secundas res, per magistratus, per amicos, per angelos, & per semetipsum in ipsis & absque ipsis. Itaque semper est orandum & nunquam cessandum: nam alioqui aut opera bona non faciemus; aut si faciemus, faciemus spiritu carnis nostrę in hypocrisi, aut in aliqua alia peiore circunstantia, aut certe perturbatione: & respectu non sano. Præterea etiam cogitationes nostræ in operibus indifferentibus: & in his etiam quę ad vitam necessaria sunt, omnia inquinabunt, aut certe, quia non referent omnia in Deum, facient vt in his labor noster sit inanis, & ita non colemus Deum in omnibus.

Vnde maior casus poßit expectari, nam qui modica spernit, non ditatur, & paulatim decidit. Eccl.19.

Sunt & spirituales quædam actiones in quibus cultus Dei constituitur, quas nonnulli impugnant, de quibus singulariter dicetur suo loco, vt sunt, vota, & cœlibatus, Ieiunia, & alia quædam.

DE

DE PROPRIA CVIVSQVE VOCATIONE.

CAP. XVII.

DOCENDI. *sunt homines, vt certam faciant suam electionem, & vocationem. 2. Pet. 1. vt nunc in hunc sensum sumamus, vt quisq; norit, ad quid eum Deus vocarit, neq; velit egredi vocationem suam, sed in ea sit fidelis, & expectet quid agat Dominus; ipse, si videbitur, vocabit superius, ne se quisquā ingerat non vocatus, vt prima Cor. 7. Heb. 5.*

Atque hic arguendi sunt, qui ex idiotis, & quibus impositæ manus non sunt, ad docendum sese ingerunt, vt Doctores fiant, ea ratione moti quòd omnes, qui Christi sunt, spiritum habent Christi, ad Rom. 8. & quod non indigent, vt quisquam eos doceat, 1. Ioa. 2. quia Deus docet eos, Hier. 31. Es. 54. Ioan. 6. non enim intelligunt quæ dicunt, datur quidem spiritus Christianis, sed ad mensurā, & vnicuique pro ea vice, quam habet in corpore. Itaque non omnes Doctores, non omnes Prophetæ, sed vnicuiq; prout Deus diuisit. Ita agendum & sentiendum est, & non altum, id est supra suam mensuram sapiendum est, ad Rom. 12. prima Cor. 12. ad Eph. 4. prima Cor. 14. Quisquis ergo sumit sibi munus Docto-

ris non vocatus cũ sit ex his quos Deus per suos Do ctores docet, nã Deus quidẽ docet, Deus est qui loquitur in doctoribus, Matt. 10. 2. Cor. 13. & 15. is inquã qui doctoris sibi assummit munus, cũ non sit, iã non vtitur spiritu Christi, sed spiritu carnis suæ, & Satanæ, qui potestates contemnit, & ordinem Dei, habet spiritum Christi si maneat in vocatione sua; & intelligat sacras literas quantum ad suam faciant vocationem. Nam multa sunt in sacris literis obuia omnibus, & scripta sunt omnibus, & sunt de quibus non cõtrouertitur, vt de diligendo Deo, & proximo, de dilectione Dei erga nos, & operibus, & beneficijs eius, cætera seruat Deus doctoribus, & vult per eos ea nos docere. Itaque vult nos humiles ad eos accedere, vt ab his tanquam è templis Dei referamus responsa ipsius Dei, à quibus sæpe etiã quæ clarissima videbantur, & erant, fiunt multo clariora; quia sic nos docet Deus, qui etiam humiles facere vult, dum fatigat nos, & cogit ad alios interrogandos. ac ne quis de hoc dubitet, apparet ex his qui in alienas functiones irrumpunt, quàm sint tota vita arrogãtes, & praefracti, vt quisque videre possit quã præcipiti & malo spiritu agãtur, vt nisi quis seipsum velit decipere, qui non sit simili abreptus spiritu vertiginis, dubitare nõ posit eos alienos esse à regno Dei quoad talia agunt.

At dicunt, Deus etiam rusticos facit prophetas: quis hoc negat? sed quod testimonium habent ij, quod spiritu Dei agantur, cum egrediuntur suam vocationem?

tionem? an non & Satanas suos prophetas facit, vt si vnum prophetam Dei videas, visurus sis continuo quadringentos malos prophetas, vt 3. Reg. 22. facile est mentiri, & furari verbũ Dei, & magno ipsorum malo, qui mentiuntur: non enim nouũ est, vt currant non missi, & loquantur à se ipsis mẽdacia, Hier. 23.

Sic & in Republica, & multis locis aliena occupantur munia, & tyrannides eriguntur, & fit & religionum, & ciuitatum perturbatio.

At videmus doctores, & pastores, & rectores nostros negligere, aut etiam seipsos tantum pascere, & gregem perdere: volumus nos occurrere. quis vos ad hoc vocauit? Dominus dixit, Matt. 9. oretis Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, & ventutum dixit Dominum, vt puniat negligentẽ superiorem, non vobis hoc mandauit, Matt. 24.

At resistere uolumus hæreticis, ut Deut. 13. Denunciate superioribus, & cauendos ostendite eos, qui vere sunt hæretici: & iuuate eos. cur vos eos, qui catholici sunt, traducitis tãquam hæreticos: tanquã Ecclesia omnis errauerit, erretque, & vos idiotæ repente plus omnibus sapiatis? an totam Christus Ecclesiam suã reliquit, & vobis adhæsit? agnoscite ergo vos alieno spiritu, illiq; contrario, qui Christi Ecclesiã regit, seductos esse, atq; in transuersum actos.

Et quidem in hijs arguendis, & in populo, vt à talibus abstineat, docẽdo vigilandum est, nam sæpe multum Ecclesiæ arrogantes spiritus nocuerunt, & in spiritualibus, & ĩ secularibus administrationibus,

in quo oportet, vt etiam & seculares magistratus inuigilent. Sed prædicatores multum prosunt in reprimendis, et in faciendo ne populus eis faueat, et ne facile sinat se corrumpi ab his, quos prædicatorũ indicio considerat propriam vocationem egressos agi spiritu vanitatis et temeritatis, aut etiam ambitionis, et cupiditatis. Prædicatores tamen nequaquam arguant eos, qui fraternè alios corrigunt; et admonent mandatorum Dei, et virtutes adnunciant eius, qui vocauit eos in admirabilem lumen suum, et qui corripiunt inquietos, consolantur pusillanimes, et frequenter verbum Dei in ore habent, nam hoc mandatum est omnibus, et nemo egreditur propriam vocationem cum hoc agit, Ecc. 17. prima Pet. 2. prima ad Thess. 5. sed illi corripiendi sunt, qui velle contraria comuni opinioni Sanctorũ audent afferre, & qui controuersa volunt decidere nõ vocati, et qui volunt sectas inducere, & locum Doctorum sibi assumere, cum Doctores ipsi non sint.

Sed sunt aliæ vocationes in vita; quas oportet attendere, ac videre antequàm quisquam sit alicui alligatus, quæ sint cuiusque propriæ: nam sępe dæmon malus & consiliarij vel praui, aut parum prudentes nos abstrahũt à propria ad contrariã vocationem: et Deus propter peccata nostra sinit nos decipi, nam discretio spirituum Dei donum est, prima Cor. 12. prima Ioan. 4. Verbi gratia, aptus eram cęlibatui, et ad id me Deus vocabat: Satan autem id metuens suadet mihi matrimonium: et inuenit ad hoc consiliarios

multos,

multos, et occasiones etiam conficit, vt ad nuptias videar vocatus. sic etiam è conuerso, & in aliis artibus illum ad militiam abstrahit, illum ad artificium ineptum complexioni, & vocationi eius, quin etiam sæpe inter duo ęque bona ambiguos nos tenet, vt dũ nihil resoluimus tantisper impediat nostram vocationem, quæ est ex Deo, neque nobis hæ difficultates sunt quod Deus minus voluntatem suam declaret, & non ostendat nobis quid nos velit facere: nam Deus diligentior est ad bene nobis faciendum, quàm diabolus, caro, & mundus ad nocendum, sed nos repugnamus lumini, & non placent quæ nobis à Domino offeruntur. Laudat enim nobis Dominus paupertatem, mititatem, luctum, Matt. 5. nos autem contra diuitias petimus, arrogantiam, gaudium carnis. Quid ergo mirum, si tradat nos in reprobũ sensum? & sinat nos decipi cum iam nos ipsos decipiamus, & Deo consilium nostrum præferamus.

At dices velim honoratam, et diuitem, & lętam vitam ducere in honorem Dei: nam & reges debent Deo seruire, ne dum diuites, & nobiles: & hanc oro mihi à Deo, nolo eam mihi per artes malas quærere, sed velim à Domino dirigi, vt ad diuitias, & honores, & gaudia peruenirem, quibus vterer ad gloriã ipsius Dei: vt mundus quoque videret non debere tantum, sed etiam posse cum his omnibus dare gloriam Deo, & vitam sanctorum viuere: quàm Sancti multi in maximis quoque diuitiis vixerunt. vis hoc? at forte Deus alios ad hoc & non te constituit,

te autem vult esse pauperem; aut inferioris fortunæ, an tu vis dare consilium Deo? an tu vis pastor esse tui ipsius, & non vis de te arbitrium esse creatoris tui? an tu melius fortasse nosti conditionem tuam, quàm ille qui te fecit? sed dicis, Deus potest facere, vt sim etiam ad hæc idoneus, nam & in diuitijs, & honoribus gubernari ab ipso non à me volo. tu ne in diuitijs, & honoribus gubernari à Deo velis, qui ne in paupertate tua id ei permittas? ne ergo roga Deũ, vt te diuitem faciat, sed magis ora, vt ab hac tentatione te liberet, & amicum faciat suæ paupertatis, faciatque vt in fide viuas: nam ipse pauperem, & diuitem facit, & honorat quem vult, & quãdo vult Ecc.11. & tibi mãdauit ne talia quæreres, sed quæreres regnum Dei, & iustitiam eius: quoniam per adiectionem dabuntur hęc, vbi erunt dãda, Matt.6. Lucæ 12. nam ipse nouit tempora & occasiones, ipse nouit quid agat: illi te curæ esse nõ dubites, nam etiã si diues fueris, & in largiendo, & bene de alijs merendo, & multis occupationibus inutilibus & periculosis implicatum te videndo, seruiendum tibi esset Deo, neque plus laudis ex vnius, aut alterius ore, in quibus beneficus fueris; quã negocij ex alijs haberes, nisi fortaße tu vnus omnium rex esse velis: oblitus aliorum filiorum Dei, quibus te præponendum petis.

Sed his ego, dices, stimulis agor, quia me forte Deus ad faciẽdas diuitias vocat, vtique nisi sit Deus seculi huius, qui mẽtes infideliũ cæcat, 2. Cor. 4. Itaque ora Dominum, vt studium pecuniæ, si ab ipso non est,

tibi adimat; si est, vt moderetur ad sensum suum, nō ad sensum carnis tuæ, vt tu quidem labores & industriam exerceas, sic tamen vt prius memineris quærendum tibi esse regnum Dei, & iustitiam eius, vt nihil deflectas à via recta, dum quæris diuitias, sed in ipsis etiam quærēdis exerceas te ad iustitiam Dei, vt labores tanquam qui Deum habeas tecum adiutorem. Itaq; neque mendacio, neque fraude, neque ulla re, quæ Deo displiceat, utare: sed ī charitate Dei, & proximi exerceas munus tuum. nam iustus factus es, & filius in baptismo, per fidem & charitatem, vt iustus ergo debes viuere, & vt filius Dei in quocunq; exercitio verseris.

At, dicis, si verax esse voluero, & iustus cum tam mendacibus & iniustis hominibus, & deceptoribus; facile non ad diuitias, sed ad paupertatem delabar. tu ergo diues esse vis cum mendacio? non ne parta mendacio erunt etiam mendacio retinenda? Quare age, vt dixi, ora Deum auferat à te cogitatio nem hanc prauam: viue in fide, & in hac nitere, vt diues fias: nam periit qui non est in Deum diues, Lucæ 12. prima Timot. 6.

Sic & de multis aliis dicendum est, nam aut scientias seculares, aut etiā ecclesiasticas quærimus, aut aliquam artem, et militiam, aut sacerdotia, quicquid sit orandū, Deus regat nos, & habeat pro suis: neq; respiciat ad prauas, aut ineptas nostras cupiditates: sed ipse ingerat suas, ad easque nos vinciat vinculis inextricabilibus, nobisq; fixum id sit nos esse Dei,

& curæ illius speciali commissos oportereq; nos ad quancunque artem, aut honorē vocemur, aut etiam coniiciamur esse iustos, neque deflectendum à vero, etiam vt sint omnia, etiam cum vita & gloria amittenda, quia nostri non simus, sed simus mancipia & filij Dei nostri, & illa quæ videantur aduersa nobis non temere accidere, sed obijci nobis, vt in his eniteat virtus, quàm habemus à Domino: vt ipse glorificetur in nobis id ergo oremus dari nobis ad credendum, & perficiendum, quia nos ex nobis nullius roboris sumus, sed potius ij sumus, qui omnia in deterius traducamus, si relinquamur à Domino.

Instandum ergo in hoc est prædicatoribus: nam sæpe decipimur omnes hoc ipso, quia nobis ipsis fabricare fortunam volumus; & eam quo iure quaque iniuria retinere, neque attendimus ad regnum Dei, & ad voluntatem ipsius, sed pro statu & conditione nostra, id est quàm finximus nobismet ipsis, decertandum putamus: ita vt declinandum etiam à conscientia, & fide interdum ducamus, quare non est mirum si derelinquamur à Domino. sed fidelis Dominus interdum etiam repugnantes, & multū diuq; repugnantes perire non sinit, veruntamen non omnibus id datur, sed paucis, & ad extremum, vt in parabola illa cœnæ, Lucæ 14. Quare nō est faciendū, vt quisquā putet secū ita actū iri, nam potest Deus aliter facere, & solet, et eos etiam quos cogit magno sæpe ipsorum malo de principio cogit, multis flagellis dico, quæ melius est, vt vitemus faciles nos cu-

ranti

ranti Deo præbentes.

Sed dicent, quis non est reliquendus à Domino? si ipse ad nostras repugnationes attendit, & non magis vincit in bono malum? his dicendum est, Non omnes tam obstinate repugnare, sed alios magis, alios minus Spiritui sancto resistere: ita vt multi nō tam resistere, quàm nondum agnoscere Dei spiritum videantur. ipse quoque Dominus non est iracundus, vt non multa condonet, multa dissimulet, vt statim, & omni ex causa repugnantes relinquat, præterea hoc ipsum, quod etiam propter nostrā repugnantiam potest nō iniuria relinquere quos vult, occasio nobis est in fide viuendi; vt tāquam rei in conspectu ipsius appareamus; & veniam semper petamus: & ipsum rogemus, vt pro suo nos arbitrio regat: & in quam volet functionem emittat nihil moratus resistentiam nostram, & nos hanc fidem habeamus fore, scilicet, vt quamuis iure nos debeat derelinquere, non sit tamen relicturus; quia misericors est, & nemini iniuriam facit si nos custodiat, & perire non sinat, quāuis vel maxime commeritos perire. veruntamen & simul timendum est à verbis illis, quibus dixit, Nemo illorum qui noluerunt venire, gustabunt cænam meam, Lucæ 14. vt scilicet veniam semper petamus, et semper annitamur ne pro rebellibus habeamur, & ipsum obsecremus, vt vincat in bono suo malum nostrum.

rum eius. Itaque uana omnia: ut omnis homo intus extraq; uanitas est, Ps. 38. & mēdax Ps. 115. sed tantum fideles diceremur in talento naturali, quod quidem: cum aliud non habemus, spernendum nobis non est, sed tamen orandum & expectandum, ut dignos nos Deus habeat uocatione sua: & donis nos honestet necessariis & conuenientibus eis, qui baptizati sunt in nomine suo, ne inter gentes cōputemur, et in hoc patientes esse non debemus: ut desideamus, & non instantissime hunc spiritum bonū petamus, nā talis patientia non est mandata, aut comendata nobis, qui debemus renasci, & noua esse creatura: & pro perpetuo Deum honorare: & seruire ei ex suo magis, quàm ex nostro: cum nostro.n. magis peccamus, quam seruimus, & renascentiā uocati simus, quæ non fit spiritu nostro, sed dono suo, uocati enim sumus in militiam suam ægri egentes & inermes, pugnaturi non solum aduersum carnem & sanguinē sed aduersus prīcipes & potestatis æris huius. Itaq; nobis opus est sanitate diuina & armatura eius ad Eph. 6. cum non modo ægri, sed & mortui simus, & uiuificandi spiritu suo: & quidem cum debeamus gratia Deo seruire, agnoscimus id nos non posse: Itaque nobis opus esse arra, & ueste nuptiali, arra bene magna, qua mortem & languores nostros auferamus & armemur, & stemus, aduersus hostes Dei, nec stemus modo, sed ea etiam animemur & roboremur ad debellandos eos, eiiciendosque è finibus nostris. Ita ut si abire nolint prosternamus eos conterente Deo

satanam

Satanam velociter sub pedibus nostris, ad Ro.16.

His armis freti & hac sanitate venimus ad exteriora, ut ad preces cōmunes, aut priuatas ad audiendum prędicationes & missas, ad genua flectenda; ad eleemosinas corporales & spirituales faciendas, ad resistendum diabolo & peccato, ad opera eius destruenda, & cum nos non tam armatos uidemus, tamen in cętu aliorum stamus, & presertim meliorū, ut quando medius sit Christus, Matt.18. ipse etiam per eos & exemplo illorum, nos quoque sanet, roboret, armet, atque animet ad digne secum ambulandum, utimur confessione, comunione, sacramentis his frequentabilibus frequenti pace, & eleemosina danda: & petenda à sanctis hominibus, quo citius importune agere cum Deo discamus, ut det nobis spiritum bonum, Lucæ.11.

Esterior ergo cultus non est negligendus, immo & frequentandus est, vt exemplum bonorum sequamur, & alios attrahamus, neque sinamus collectionē nostram dissolui, in qua Christus est, non ergo sequamur nimium prudentium vanitatem, qui ob id quod Deus vbiq; sit, & ubiq; colendus; & quia in spiritu & veritate coli velit, Ioan.4. Iccirco non putāt sibi templa frequentanda, nam sic dicere videntur & facere contra seipsos, si enim Deus vbiq; est, & coli vult in spiritu & veritate: ergo etiam in templis est, & ibi quoque coli vult in spiritu & veritate, & templum est domus Dei, & domus orationis cunctis gētibus, Es.56. Matt.20. Mar.11. Et ideo An-

na non discedebat è templo, Lucæ 1. præsertim cum in templo multa sint in memoriam beneficiorum, & operum Dei in nos, quæ spiritum nobis possunt excitare ad colendum Deũ in fide & charitate, quæ sunt opera Spiritussancti, ad Gal. 5. præterea ipsa Ecclesia & collectio fidelium contemnenda non est, vt in qua sit Christus, Matt. 18. & quæ columna est, & firmamentum veritatis, primæ Timot. 3.

At solent homines indeuote in templis versari. at non id omnes multi enim digne conuersantur, & tu ergo debes accedere, vt sumas exemplum à piis, & tuo exemplo eos corrobores, & arguas impios, qui te videant piorum more in templis versari; neque irrisiones eorum verearis; sed magis Deum time: & pro magno beneficio habe quod datur tibi, vt ipsum confitearis in generatione peccatrice, dole vicẽ generationis peccatricis, & ora pro ea, & agnosce beneficium Dei in te, qui sinat malos viuere, & in templis etiam male agere, quo sit tuus cultus acceptior comparatione propter illos, & simul instanter pro illis roga, quia tibi quoque magis prodesset, si omnes digne Deo ambularẽt, nam & tua augeretur pietas, & in Deum charitas. ita importune petentes spiritum bonum debemus omnia nostra facere in fide: tanquam habuerimus iam spiritum Dei: aut certe habituri iam iam simus, & operibus velimus eum exercere: vt non contristemus eum, Eph. 4. prima Thes. 5. sed nutriamus & foueamus donec in nobis, ita crescat vt regnet, ita vt non agamus tantum spiritu

ritu

ritu Dei, sed agamur ipso, & ipse oret, & faciet omnia in nobis per nos, & pro nobis, ad Rom. 8. Videamus ergo, vt quolibet die opus aliquod agamus cum exercitio illo fidei, spei, & charitatis, & patientiæ, vt supra diximus in exemplo, dum angariamur vt ita sensim assuescamus exercere dona Dei, quibus omnibus in rebus vti debemus, vt omnia cum fructu & non frustra peragamus, quia sic labor noster non erit inanis in Domino, primæ Cor. 15.

Exterior autem cultus non sit tam multus & impeditus, vt impediat animi exercitationem, sed talis, sit qui nutriat & exerceat dona Dei, veruntamen, quia etiam & ministri interdum Ecclesiæ sumus, et exteriores cerimonias dum tractamus, fatigamur ita vt non possimus menti vacare, faciendum vt supra in tit. de Cerimonijs dixi, vt scilicet Deum oremus boni consulat, vt quam nobis nō dat, det Ecclesiæ attentionem. Vnus enim obit multas cerimonias: quarum vnam vnus, alteram alius considerat, nam & Ecclesia ipsa in singulis quibusq; vellet omnes considerare, & ipsa distraheretur, vt nullam cerimoniam digne acciperet dū ad alias properaret, neq; suam fidem, & deuotionem recte exerceret, nunc autem Ecclesia dum hanc cerimoniam per illum, illā vero per alium considerat, tota ædificatur, & Deum in cerimonijs recognitum adorat in spiritu & veritate; gratias ei agens eorum, quæ per cerimonias significantur.

Et in Ecclesia, & in cultu Dei illud agendum est,

vt putes non pro te solũ, sed pro Ecclesia tota, quum etiam & pro ethnicis te facere, vt omnes ad Dei cultum vocentur, & vt tu particeps sis laborum, & bonorum operũ; cuiuscunque sancti, qui in Ecclesia sit, fuerit aut futurus sit, vt omnium labores benedicas, & ames, & omnes Deo offeras sanctificandos.

Item, sicut externa ab internis bonis, & nõ malis debent procedere, ita externa ad interna commouenda, & erigenda, ordinanda sunt: & ita vt dictũ est & semper est dicendum, vt spiritum Dei, & non nostrum habeamus, nam sæpe contemplamur, & Christi paßiones, & actiones, sed carnaliter tantum, ut afficiamur quidem, & sentire videamur diuina, & tamen tam impatientes, tam cupidi, tam nostri amantes, & negligentes aliorũ sumus, quàm prius eramus, vt appareat nos carnalẽ spiritum nostrum, & non spiritualem nutriuisse, & abusos esse diuinis. Itaque nos ipsos, & studia nostra præferimus aliorũ operibus: & nos vitam agere contemplatiuam, & cęlestem credimus, cum tamen è contemplatione patientię Christi nos impatientiam, & odium in alios, præsertim in eos, qui ipsum calumniabantur, & ad necem rapuerunt, & non patientiam & benignitatem, & fletum in eos, qualia Christus habuit reportamus: præterea, oblectamur vel subtilitatibus sacrę scripturę vel allegorijs, & dulcedine aliqua: & ea sanctiores nos alijs putamus; cum tamen non nisi carnalia sæpe sint, & qualia etiam ex studijs rerũ aliarum, & naturalium haberi solent, ita vt multi

decipiantur,

decipiantur, & illudantur à malis demoniјs, id aliј metuentes in contrarium versi aufugiunt omnē dulcedinem, dicentes plus meriti esse vbi plus est laboris & contentionis, & plus gaudiј cùm è nostro labore manducamus, quàm si gratis reciperemus, ita quasi charitas Dei, & sapientia ipsius amaritudinem habeat in sua conuersatione, & non potius suauia sint omnia, adeo ut etiam in tribulationibus omne sit gaudium, Matt. 11. ad Rom. 5. Iac. 1. Dum vitare volunt carnalem dulcedinem, etiam spiritualē deuitāt. Itaque fugiendum quidem est carnale gaudium. Væ enim tale gaudium habentibus, quoniam qui rident flebunt, & beati qui lugēt carnē, Matt. 5. Ioan. 16. sed gaudendum, et iterum dico gaudendum, sed in Domino, vt Matt. 5. ad Phil. 4. quia regnum Dei est gaudium, et pax in Spiritu Sancto, ad Rom. 14.

Opus Dei est, et non nostrum renouatio nostra, spiritu ipsius oportet nos renouari, et non conformari huic seculo; sensu nostro scilicet Christianorum non sensu nostro carnalium renouari nos oportet: is autem sensus nobis à Deo est per gratiam: qua sumus Christiani. Itaque deponimus mendacia etc. et induimus Christum, ad Rom. 12. ad Eph. 4. Ipse Deus ædificat nos, et renouat nos, et plantat in nobis spiritum suum, nostrum autem est secundum illum ambulare et renouari, et non secundum carnem, nos à nobis Spiritum Sanctum, et dona ipsius, per quæ efficimur consortes diuinæ naturæ, 2. Pet. 1. habere non possumus, sed iussi sumus quærere regnum Dei, et iustitiā

eius Matth.6. datum ergo nobis est petere, quærere, & pulsare, vt Deus donet nobis spiritum bonum, & secundum illum nos renasci faciat, facit autem id & prædicationi, & scriptis Apostolorum, & Prophetarum, & eorum qui illa nobis declarant, facit per vexationes, & per secundas res, per magistratus, per amicos, per angelos, & per semetipsum in ipsis & absque ipsis. Itaque semper est orandum & nunquam cessandum: nam alioqui aut opera bona non faciemus; aut si faciemus, faciemus spiritu carnis nostrę in hypocrisi, aut in aliqua alia peiore circunstantia, aut certe perturbatione: & respectu non sano. Præterea etiam cogitationes nostræ in operibus indifferentibus: & in his etiam quę ad vitam necessaria sunt, omnia inquinabunt, aut certe, quia non referent omnia in Deum, facient vt in his labor noster sit inanis, & ita non colemus Deum in omnibus.

Vnde maior casus poßit expectari, nam qui modica spernit, non ditatur, & paulatim decidit. Eccl.19.

Sunt & spirituales quædam actiones in quibus cultus Dei constituitur, quas nonnulli impugnant, de quibus singulariter dicetur suo loco, vt sunt, vota, & cœlibatus, Ieiunia, & alia quædam.

DE PROPRIA CVIVSQVE VOCATIONE.

CAP. XVII.

DOCENDI sunt homines, vt certam faciant suam electionem, & vocationem. 2. Pet. 1. vt nunc in hunc sensum sumamus, vt quisq; norit, ad quid eum Deus vocarit, neq; velit egredi vocationem suam, sed in ea sit fidelis, & expectet quid agat Dominus; ipse, si videbitur, vocabit superius, ne se quisquã ingerat non vocatus, vt prima Cor. 7. Heb. 5.

Atque hic arguendi sunt, qui ex idiotis, & quibus impositæ manus non sunt, ad docendum sese ingerunt, vt Doctores fiant, ea ratione moti quòd omnes, qui Christi sunt, spiritum habent Christi, ad Rom. 8. & quod non indigent, vt quisquam eos doceat, 1. Ioa. 2. quia Deus docet eos, Hier. 31. Es. 54. Ioan. 6. non enim intelligunt quæ dicunt, datur quidem spiritus Christianis, sed ad mensurã, & vnicuique pro ea vice, quam habet in corpore. Itaque non omnes Doctores, non omnes Prophetæ, sed vnicuiq; prout Deus diuisit. Ita agendum & sentiendum est, & non altum, id est supra suam mensuram sapiendum est, ad Rom. 12. prima Cor. 12. ad Eph. 4. prima Cor. 14. Quisquis ergo sumit sibi munus Docto-

ris non vocatus cũ sit ex his quos Deus per suos Do-ctores docet, nã Deus quidẽ docet, Deus est qui loqui-tur in doctoribus, Matt. 10. 2. Cor. 13. et 15. is inquã qui doctoris sibi assummit munus, cũ non sit, iã non vtitur spiritu Christi, sed spiritu carnis suæ, & Satanæ, qui potestates contemnit, & ordinem Dei, habet spiritum Christi si maneat in vocatione sua; & intelligat sacras literas quantum ad suam fa-ciant vocationem. Nam multa sunt in sacris lite-ris obuia omnibus, & scripta sunt omnibus, & sunt de quibus non cõtrouertitur, vt de diligendo Deo, & proximo, de dilectione Dei erga nos, & operibus, & beneficijs eius; cætera seruat Deus doctoribus, & vult per eos ea nos docere. Itaque vult nos humiles ad eos accedere, vt ab his tanquam è templis Dei re-feramus responsa ipsius Dei, à quibus sæpe etiã quæ clarissima videbantur, & erant, fiunt multo clario-ra; quia sic nos docet Deus, qui etiam humiles facere vult, dum fatigat nos, & cogit ad alios interrogan-dos. ac ne quis de hoc dubitet, apparet ex his qui in alienas functiones irrumpunt, quàm sint tota vita arrogãtes, & praefracti, vt quisque videre possit quã præcipiti & malo spiritu agãtur, vt nisi quis seipsum velit decipere, qui non sit simili abreptus spiritu ver tiginis, dubitare nõ poßit eos alienos esse à regno Dei quoad talia agunt.

At dicunt, Deus etiam rusticos facit prophetas: quis hoc negat? sed quod testimonium habent ij, quod spiritu Dei agantur, cum egrediuntur suam voca-tionem?

tionem? an non & Satanas suos prophetas facit, vt si vnum prophetam Dei videas, visurus sis continuo quadringentos malos prophetas, vt 3. Reg. 22. facile est mentiri, & furari verbū Dei, & magno ipsorum malo, qui mentiuntur: non enim nouū est, vt currant non missi, & loquantur à se ipsis mēdacia, Hier. 23.

Sic & in Republica, & multis locis aliena occupantur munia, & tyrannides eriguntur, & fit & religionum, & ciuitatum perturbatio.

At videmus doctores, & pastores, & rectores nostros negligere, aut etiam seipsos tantum pascere, & gregem perdere: volumus nos occurrere. quis vos ad hoc vocauit? Dominus dixit, Matt. 9. oretis Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, & ventur[u]m dixit Dominum, vt puniat negligentē superiorem, non vobis hoc mandauit, Matt. 24.

At resistere uolumus hæreticis, ut Deut. 13. Denunciate superioribus, & cauendos ostendite eos, qui vere sunt hæretici: & iuuate eos. cur vos eos, qui catholici sunt, traducitis tāquam hæreticos: tanquā Ecclesia omnis errauerit, erretque, & vos idiotæ repente plus omnibus sapiatis? an totam Christus Ecclesiam suā reliquit, & vobis adhæsit? agnoscite ergo vos alieno spiritu, illiq; contrario, qui Christi Ecclesiā regit, seductos esse, atq; in transuersum actos.

Et quidem in hijs arguendis, & in populo, vt à talibus abstineat, docēdo vigilandum est, nam sæpe multum Ecclesiæ arrogantes spiritus nocuerunt, & in spiritualibus, & ī secularibus administrationibus,

in quo oportet, vt etiam & seculares magistratus inuigilent. Sed prædicatores multum prosunt in reprimendis, et in faciendo ne populus eis faueat, et ne facile sinat se corrumpi ab his, quos prædicatorũ iudicio considerat propriam vocationem egressos agi spiritu vanitatis et temeritatis, aut etiam ambitionis, et cupiditatis. Prædicatores tamen nequaquam arguant eos, qui fraternè alios corrigunt; et admonent mandatorum Dei, et virtutes adnunciant eius, qui vocauit eos in admirabile lumen suum, et qui corripiunt inquietos, consolantur pusillanimes, et frequenter verbum Dei in ore habent, nam hoc mandatum est omnibus, et nemo egreditur propriam vocationem cum hoc agit, Ecc. 17. prima Pet. 2. prima ad Thess. 5. sed illi corripiendi sunt, qui velle contraria comuni opinioni Sanctorũ audent afferre, & qui controuersa volunt decidere nõ vocati, et qui volunt sectas inducere, & locum Doctorum sibi assumere, cum Doctores ipsi non sint.

Sed sunt aliæ vocationes in vita; quas oportet attendere, ac videre antequàm quisquam sit alicui alligatus, quæ sint cuiusque propriæ: nam sępe dæmon malus & consiliarij vel praui, aut parum prudentes nos abstrahũt à propria ad contrariã vocationem: et Deus propter peccata nostra sinit nos decipi, nam discretio spirituum Dei donum est, prima Cor. 12. prima Ioan. 4. Verbi gratia, aptus eram cęlibatui, et ad id me Deus vocabat: Satan autem id metuens suadet mihi matrimonium: et inuenit ad hoc consiliarios

multos,

multos, et occasiones etiam conficit, vt ad nuptias vi dear vocatus. sic etiam è conuerso, & in alijs artibus illum ad militiam abstrahit; illum ad artificium ineptum complexioni, & vocationi eius, quin etiam sæpe inter duo ęque bona ambiguos nos tenet, vt dũ nihil resoluimus tantisper impediat nostram vocationem, quæ est ex Deo, neque nobis hæ difficultates sunt quod Deus minus voluntatem suam declaret, & non ostendat nobis quid nos velit facere: nam Deus diligentior est ad bene nobis faciendum, quàm diabolus, caro, & mundus ad nocendum, sed nos repugnamus lumini, & non placent quæ nobis à Domino offeruntur. Laudat enim nobis Dominus paupertatem, mititatem, luctum, Matt. 5. nos autem contra diuitias petimus, arrogantiam, gaudium carnis. Quid ergo mirum, si tradat nos in reprobũ sensum? & sinat nos decipi cum iam nos ipsos decipiamus, & Deo consilium nostrum præferamus.

At dices velim honoratam, et diuitem, & lętam vitam ducere in honorem Dei: nam & reges debent Deo seruire, ne dum diuites, & nobiles: & hanc oro mihi à Deo, nolo eam mihi per artes malas quærere, sed velim à Domino dirigi, vt ad diuitias, & honores, & gaudia peruenirem, quibus vterer ad gloriã ipsius Dei: vt mundus quoque videret non debere tantum, sed etiam posse cum his omnibus dare gloriam Deo, & vitam sanctorum viuere: quàm Sancti multi in maximis quoque diuitijs vixerunt. vis hoc? at forte Deus alios ad hoc & non te constituit,

te autem vult esse pauperem; aut inferioris fortunæ, an tu vis dare consilium Deo? an tu vis pastor esse tui ipsius, & non vis de te arbitrium esse creatoris tui? an tu melius fortasse nosti conditionem tuam, quàm ille qui te fecit? sed dicis, Deus potest facere, vt sim etiam ad hæc idoneus, nam & in diuitijs, & honoribus gubernari ab ipso non à me volo. tu ne in diuitijs, & honoribus gubernari à Deo velis, qui ne in paupertate tua id ei permittas? ne ergo roga Deũ, vt te diuitem faciat, sed magis ora, vt ab hac tentatione te liberet, & amicum faciat suæ paupertatis, faciatque vt in fide viuas: nam ipse pauperem, & diuitem facit, & honorat quem vult, & quãdo vult Ecc. 11. & tibi mãdauit ne talia quæreres, sed quæreres regnum Dei, & iustitiam eius: quoniam per adiectionem dabuntur hęc, vbi erunt dãda, Matt. 6. Lucæ 12. nam ipse nouit tempora & occasiones, ipse nouit quid agat: illi te curæ esse nõ dubites, nam etiã si diues fueris, & in largiendo, & bene de alijs merendo, & multis occupationibus inutilibus & periculosis implicatum te videndo, seruiendum tibi esset Deo, neque plus laudis ex vnius, aut alterius ore, in quibus beneficus fueris; quã negocij ex alijs haberes, nisi fortaße tu vnus omnium rex esse velis: oblitus aliorum filiorum Dei, quibus te præponendum petis.

Sed his ego, dices, stimulis agor, quia me forte Deus ad faciẽdas diuitias vocat, vtique nisi sit Deus seculi huius, qui mẽtes infideliũ cæcat, 2. Cor. 4. Itaq; ora Dominum, vt studium pecuniæ, si ab ipso non est,

tibi adimat; si est, vt moderetur ad sensum suum, nō ad sensum carnis tuæ, vt tu quidem labores & industriam exerceas, sic tamen vt prius memineris quærendum tibi esse regnum Dei, & iustitiam eius, vt nihil deflectas à via recta, dum quæris diuitias, sed in ipsis etiam quærēdis exerceas te ad iustitiam Dei, vt labores tanquam qui Deum habeas tecum adiutorem. Itaq; neque mendacio, neque fraude, neque ulla re, quæ Deo displiceat, utare: sed ĩ charitate Dei, & proximi exerceas munus tuum. nam iustus factus es, & filius in baptismo, per fidem & charitatem, vt iustus ergo debes viuere, & vt filius Dei in quocunq; exercitio verseris.

At, dicis, si verax esse voluero, & iustus cum tam mendacibus & iniustis hominibus, & deceptoribus; facile non ad diuitias, sed ad paupertatem delabar. tu ergo diues esse vis cum mendacio? non ne parta mendacio erunt etiam mendacio retinenda? Quare age, vt dixi, ora Deum auferat à te cogitationem hanc prauam: viue in fide, & in hac nitere, vt diues fias: nam periit qui non est in Deum diues, Lucæ 12. prima Timot. 6.

Sic & de multis aliis dicendum est, nam aut scientias seculares, aut etiā ecclesiasticas quærimus, aut aliquam artem, et militiam, aut sacerdotia, quicquid sit orandū, Deus regat nos, & habeat pro suis: neq; respiciat ad prauas, aut ineptas nostras cupiditates: sed ipse ingerat suas, ad easque nos vinciat vinculis inextricabilibus, nobisq; fixum id sit nos esse Dei,

& curæ illius speciali commissos oportereq; nos ad quancunque artem, aut honorē vocemur, aut etiam coniiciamur esse iustos, neque deflectendum à vero, etiam vt sint omnia, etiam cum vita & gloria amittenda, quia nostri non sumus, sed sumus mancipia & filij Dei nostri, & illa quæ videantur aduersa nobis non temere accidere, sed obijci nobis, vt in his eniteat virtus, quàm habemus à Domino: vt ipse glorificetur in nobis id ergo oremus dari nobis ad credendum, & perficiendum, quia nos ex nobis nullius roboris sumus, sed potius ij sumus, qui omnia in deterius traducamus, si relinquamur à Domino.

Instandum ergo in hoc est prædicatoribus: nam sæpe decipimur omnes hoc ipso, quia nobis ipsis fabricare fortunam volumus; & eam quo iure quaque iniuria retinere, neque attendimus ad regnum Dei, & ad voluntatem ipsius, sed pro statu & conditione nostra, id est quàm finximus nobismet ipsis, decertandum putamus: ita vt declinandum etiam à conscientia, & fide interdum ducamus, quare non est mirum si derelinquamur à Domino. sed fidelis Dominus interdum etiam repugnantes, & multū diuq; repugnantes perire non sinit, veruntamen non omnibus id datur, sed paucis, & ad extremum, vt in parabola illa cœnæ, Lucæ 14. Quare nō est faciendū, vt quisquā putet secū ita actū iri, nam potest Deus aliter facere, & solet, et eos etiam quos cogit magno sæpe ipsorum malo de principio cogit, multis flagellis dico, quæ melius est, vt vitemus faciles nos curanti

ranti Deo præbentes.

Sed dicent, quis non est reliquendus à Domino? si ipse ad nostras repugnationes attendit, & non magis vincit in bono malum? his dicendum est, Non omnes tam ostinate repugnare, sed alios magis, alios minus Spiritui sancto resistere: ita vt multi nõ tam resistere, quàm nondum agnoscere Dei spiritum videantur. ipse quoque Dominus non est iracundus, vt non multam condonet, multa dißimulet, vt statim, & omni ex causa repugnantes relinquat, præterea hoc ipsum, quod etiam propter nostrã repugnantiam potest nõ iniuria relinquere quos vult, occasio nobis est in fide viuendi; vt tãquam rei in conspectu ipsius appareamus; & veniam semper petamus: & ipsum rogemus, vt pro suo nos arbitrio regat: & in quam volet functionem emittat nihil moratus resistentiam nostram, & nos hanc fidem habeamus fore, scilicet, vt quamuis iure nos debeat derelinquere, non sit tamen relicturus; quia misericors est, & nemini iniuriam facit si nos custodiat, & perire non sinat, quãuis vel maxime commeritos perire. veruntamen & simul timendum est à verbis illis, quibus dixit, Nemo illorum qui noluerunt venire, gustabunt cænam meam, Lucæ 14. vt scilicet veniam semper petamus, et semper annitamur ne pro rebellibus habeamur, & ipsum obsecremus, vt vincat in bono suo malum nostrum.

DE SACRIS LITERIS.

CAP. XVIII.

SACRAE literæ sunt omnibus commendandæ, vt omnes in eis, & oblectentur, et videant quomodo dirigant viam suam etiam qui maxime sunt negotijs præpediti, & etiam qui eas non intelligunt, spem habeant fore vt Deus eos illuminet, citiusq; dura et insuauia scripturarum, quàm paganorum, & vanorũ hominũ etiam suauissima legãt, vt sic Deum honorent qui sese tantum demisit, vt sic loqueretur ad nos: item vt ex eis inflammemur ad amorem Dei et proximorum, cum videmus quid egerit nobiscũ Deus, & quid à nobis velit, & quid promittat, & in hoc & in futuro seculo. itaque essent omnes adiscendę, neq; quisquam ab illis sibi metuat, ne iniuriam Deo facere videatur, & spernere consilium Dei, qui tam magnum donum dedit nobis suarum scripturarum, sed magis metuat ab ignoratione ipsarum.

Lazaro Videndus est Chris. Hom. 20. super Gen. prope fin. & in concione de Lazaro, vbi facunde, & fœliciter hanc materiam tractat, vt scriptura sacra ab oĩbus legatur. idẽ de patre et duobus filijs Hom. 24. dicit

dicit nullo periculo legi, sed omitti cum periculo, & quod ex ignoratione scripturarũ orta et fotæ sunt hæreses.

Multa item ex Augustino in lib. de utilitate credendi, & Epist. III. & 48. retundendi tamẽ sunt audaces, de quibus diximus in tit. de propria cuiusque vocatione. nam & si scriptura rationibus & disciplinis humanis non intelligatur, sed spiritu Dei Luc. 24. & 2. Pet. 1. non propterea tamen Deus fecit vt omnis scriptura vnicuique pateret. Sed vnicuique data est sua mensura. Itaque doctores in Ecclesia constituit, ad quos & clara illustranda, & obscura patefacienda referantur, ad Eph. 4. horum aliqui scriptis tradiderunt quæ sibi erant reuelata, & glossas addiderunt ad obscura loca, ii sunt consulendi sic & eos qui nobiscum viuunt: sunt etiam in scriptura quædã, quæ ad disciplinas pertinent, quæ si ex glossis nõ possunt haberi, habebuntur à peritis illarum disciplinarum. quid autem ex his spiritus significet, ad spirituales Doctores referendum est.

Docendi ergo sunt homines scripturis sanctis eos vti oportere, nec metuere ab illis, sed bene ex illis sperare, vt quæ traduntur à Domino: metuere autem oportere à scripturis prophanis, & ab auditu prophanorum. Item vtendum scripturis ad charitatem, & humilitatem, & non ad inflationem, & non ad cæcitatem, nõ ad defendendam impietatem: nam scripturæ charitatem, humilitatem, obedientiam, & omne bonum suadent, & deterrent à malo, & est liber

vitæ: arbor illa vitæ quæ est in Paradiso Dei, nam iccirco Deus voluit aliqua obscura esse et controuersa, vt mutuo auxilio egeremus, atque ita humilitas probaretur & charitas augeretur: nam ad hoc data est. quisquis ergo scire sese videt, si charitatem non habet, nihil sit, prima Cor. 8. Communicet ergo libenter sciens quòd à Domino doctus est, vt alijs impertiatur, vt bonus Dei minister, ne si contumax esse pergat cæcus fiat, & doceri petat ab his, quos ipsecũ posset docere, non voluit.

Admoneantur & homines docti, qui scire omnia volunt, Scripturas autem sacras contẽnunt, ne reddituri sint rationem studiorum suorum, nam certe in hoc magna est multorum negligentia, nisi forte infidelitas est, quæ iam animos multorum occupauit.

Turpißimum est Christianis nescire historias Dei sui, sed homines inepti, vbi primum in rem aliquam obscuram offenderint totum librum reijciunt, cum id in Doctoribus gentilium non faciant. alij non nisi obscura petunt loca; reliqua vero cuncta contemnunt, quia in his non sit vnde glorietur, sed hoc fit quia cum deberent historiæ, & admonitiones scripturæ sacræ, pueris ac puellis inculcari, vt in amorem Dei educarentur; prophana & vaniloquia inculcantur, vnde posteaquàm adolescunt, & viri fiunt, ad consueta sese vertunt. nauseaq; eos capit rerum diuinarum.

Ergo prędicatores assumant historias integras, & loca illustria; eaq; faciant illustriora: vt populus historiam amet, & Dei dignationem videat, & memo

ria

ria mandet, & cupiat etiam ipse scire quid Deus noster pro nobis in mundo egit, vt speret, immo & confidat sese regi à Deo suo: & ea quæ scripta sunt, scripta esse ad doctrinam nostram, vt per patientiam et consolationem scripturarũ spem habeamus, ad Rom. 15. ac vide vt summatim tradatur in Psal. 77. & in aliis etiam id quod indicat menti commendari, & cantari debere vt tenacius cordi adhæreat, nunc autem opera Satanæ cantani, & lasciua etiã à puellis.

Et de auctoritate scripturæ sacræ diximus in titulo de Ecclesia, sed illud inculcandum est, credenda esse omnia quæ in sacris literis traduntur, etiam quòd nõ intelligantur omnia à nobis, nam & non intellecta venerari debemus, & certissime scire vera esse, ea vero quæ clara, sed absurda videantur, habenda pro bonis & sanctis, sed à nobis non intelligi, aut certe aliud velle significare & figurate loqui.

Si vero aliquando contingat vt prælati sacras literas videri prohibeant, indicium est vel irati in nos Dei, vel corruptionis populi, vt qui scire sacra diu noluerit, prohibeatur ne videat cum velit, vel quia non vult eas videre ad quod factæ sunt, de quo supra dicebamus, sed videre eas volunt ad iactantiam, ad contentiones, & ad occupandum Doctorum locum, ij qui discipuli esse debent, vt supra in cap. de cuiusq; vocatione dicebamus. redeant ergo ad sanitatem, & doceri velint à legitimis Doctoribus, & vltro eis concedentur.

Illud considerandum interdum hereticos & qui

prælatorum iussa non timent, legere & corrumpere scripturas, et negare etiam esse in scripturis, vel adiectum dicere, quicquid contra eos facit, catholicos autem, & qui Prælatorum iussa timent non legere, sed sæpius iactantes hæreticos audire quæ dediscéda sunt,
extarent
& quæ si scripturæ extarét, facile refellerentur. scripturæ enim non faciunt, sed detegunt hæreticos, & malos homines, vt agnoscantur. ideo & 1. Cor. 11. dixit, oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, sic & Christus positus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur, vt detegantur cogitationes cordium. Lucæ. 2. Itaque Christi bonus odor sumus aliis ad vitam, aliis ad mortem. 2. Cor. 2. Nam mali homines in suam perniciem etiam bona vertunt. 2. Pet. 3. Et omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia. confitentur, &c. ad Tit. 1. neque tamen quia stultorum infinitus est numerus, & pauci
seu
boni sunt, Deus propterea librum suum abscondit, sed quãuis non nisi quarta pars cum fructu semen verbi recipiat, parcit quin in totam terram spargat semen verbi sui Matth. 13. nempe vt nemo sit excusatus: & Deus ipse iustificetur, cum iudicatur. Ideo semper in Ecclesia voluit eas publicari, & legebatur Moses per omne sabatum. Act. 15. & in Ecclesiis nostris astante doctore, qui dubia declararet, vt apparet ex concionibus Chrisostomi et Augustini, ne pauci illi boni, quibus omnia bene vertunt, fraudarentur cibo suo,

suo, & imposturis hæreticorum & malorum hominũ [...] inficerentur allegatione sacrarum literarũ; quarum ipsi cognitionem non haberent. itaque prædicatores admoneant populum ne se decipi sinat, neque cito cuilibet credat, sed ad suos prælatos recurrat, antequã fidem adhibeat præsertim his, qui non missi veniunt, vel de quorũ missione dubitatur, si non certa & recepta prædicant, & periculosas nouitates sapere videntur in allegatione scripturarum.

Notandum item est nonnullos dicere sacris literis neque conuinci, neque conuerti hæreticos, atque ideo aliis armis vtendum ad hæreticos vel conuincendos, vel conuertendos quia sacras literas, vel negant, vel deprauant vel argumẽtis sophisticis ad suas opiniones detorquent, sed docendũ est, si quis velit hæreticos conuincere, aut conuertere, agat vt vult marte suo, si vero quis velit hæreticos à domino Deo conuinci aut conuerti, hunc opus esse vt non marte suo, sed vtatur gladio, & armis Dei, idest verbo Dei, & sacris literis. nam si Deus conuincere aut conuertere hæreticos volet, aperiet eis sensum vt intelligant scripturas, quæ eis allegantur, & ita recedent à suis glossis & opinionibus prauis, vel proprio iudicio conuicti puniri, aut certe caueri poterunt. & sacrarum literarum allegatione si videamus eos conuerti, dicemus à Domino Deo eos esse conuersos. idem si rationibus à scriptura deductis factum videamus. si autem aliis rationibus vsi fuerimus, non satis tuta erit coniectura an conuersi sint ad Deum, an aliud sint secuti. nam

qui tanta confidentia, vel potius temeritate ab Ecclesiæ sensu audent recedere, magnum indicium est traditos esse in reprobum sensum, quoniam alioqui nunquàm tanto periculo sese obijcerent: quare nisi Deus aperiat eis sensum, desperata curatio est, secunda Timot 2.

DE EDVCATIONE FILIORVM.

CAP. XIX.

EDVCATIO *filiorum sæpe repetenda est, excitandiq; parentes, vt hoc non negligant neque defugiant labores, nam multo maiores & deteriores cum maximis etiam doloribus habebunt si male eductos cogantur, vt æquum est ferre contumaces: aut videant sua male perdere, & ipsos male perire: quia Deus non delectatur multitudine filiorum infidelium & inutilium, Eccl. 15. & 16. Et quia patrum delicta sæpe filij luunt, curandum est parentibus, vt ipsi recta discant, quæ doceãt filios suos, et rectè viuãt, vt exéplo sint filijs, & quoniã filios prauos etiã patres boni habuerunt, vt de Heli & Samuele, & Dauide, & alijs accepimus; caute agendum est patribus, ne dum ad quasdam suas deuotiones contendunt, negligant*

gant disciplinam familiæ suæ. nam insidiantur ei tẽpori filij, vt parentibus occupatis ipsi lasciuiant, sed præcipue orandum est, & nihil prætermittendum, siquid autem secus acciderit, ne accidat culpa ipsorum, quãquam qui fieri potest, vt non accidat culpa ipsorũ, cũ dictũ sit, Gen. 3. multiplicabo conceptus tuos, idest plures paries quàm oportuit. sed dices ab hac maledictione per baptismum liberati sumus. sumus quidẽ nisi postea malis moribus in maiores etiam maledictiones nos conijceremus. itaque matrimonia magis consilio carnis quàm spiritus contrahere solemus, & superbe & insolenter agentes, vt non filij Dei nos, sed Diaboli velimus videri, ita non attendimus quid agamus, & quod nobis negotium est cum Deo committenti nobis filios suos.

Præcipua educatio filiorum est, vt domi parentes honesti sint, & horas statas habeant orationis et adorationis, vt quæ ipsi norint præcepta Dei, & quid credendum, & quid orandum, & id ipsum doceant filios suos, et à teneris assuescant, ut agnoscant Deũ datorẽ & vitæ & rerum tam prosperarum quàm aduersarum, vtque ex illo pendeant semper, instituaturq; oratio & adoratio certis horis, vt tota simul sit familia, in qua spiritualia diserte & præcipue petãtur, scilicet regi à Domino, tueri ne peccent, esse in perpetua gratia Dei. post hæc particularia petantur quæ in dies vel nobis, vel nostris, vel alienis, etiam inimicis incurrunt, vt rogemus pro omnibus. discant honorare parẽtes, pro eis tam viuis quàm defunctis orẽt,

vt vitent malos: honorent bonos; & in exemplum adducant, cæterorum vero mores malos execrentur, & orent tamen pro eis vt corrigantur, neq; quisquā paupertatem excuset, & diuturnos labores: nam par uulis dare hæc possunt, vt maiores etiam inter laborandum orent, & Deo seruiant fide: scientes quod il lius curæ commissi sunt, vt discant semper sentire & dicere, Dominus solicitus est mei, plus ergo ponent in protectione Dei & in mandatis eius, quàm in laboribus suis

Diuites autem adhibeant etiam morum magistros vt filij in sancta disciplina educentur: nam si nobiliū & diuitum filij bene fuerint educati tota vicinia, & sæpe etiam ciuitas tota ędificatur, nam erubescunt te nuiores non imitarį diuitum & nobilium modestiam, ad hæc timent eorum iudicium: & ita cauent à malis multis, contra vero, si diuitum et nobilium filij insolescant, omnia malis moribus et licentia corrūpunt.

Sed erubescunt prauo iudicio nobiles & diuites mo destiam suam, & filiorum: idq; demum nobilem esse putant posse insolenter agere, deterrendi ergo sunt ab hac opinione: & traducenda est iustis & magnis sanctorum præiudicijs & minandum quia Deus, qui ipsum se non honorent facit ignobiles. 1. Reg. 2. et quod etsi ad tempus florere videantur, sunt tamen tanquā carnifices, quibus ad alios humiliandos vtitur Deus, quos perfecto opere per alios æque malos aut etiam peiores castigabit, atque deijciet.

Agendum ne mores puerorum etiam alienorum

negligan-

negligantur, sed amice corripiantur & referantur ad magistros & ad patres, nam sæpe illi quorum ma los mores ridemus, eos in nos effundunt & nobis molesti sunt, idque iure quod dum licebat non eos corripuimus.

Laudandę scholæ ille: in quibus festis diebus filij pauperorum docentur præcepta Dei & bonos mores: animandiq; patres, vt ad eas accedant quo filij intelligant suis parentibus gratum esse quod eò pergant, & quod tutum eis non est si non accesserint domum, aũt reuersos interrogent quid didicerint, faciantq; referre, vt filiolæ, & quę domi desident, & ipsæ à fratribus discant: & ita laudetur diligentia, & corripiatur ignauia, & flagelletur contumacia. nam qui parcit virgę odit filium suum Prou. 13. Parentes quoque quid ipsi in prædicatione didicerint doceant filios: et familiam suam, infigãt animis omnes sese ad Deũ pertinere, hic in exilio agere.: & suspirare ad patriã & Dominum ita sollicitum esse pro nobis, vt filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Io. 3. Itaq; non esse tantum beneficium contemnendum, quia qui hoc spernit, peribit. Ioan. 12. non enim est in alio aliquo salus. Act. 4.

Addatur exhortatio ad Parrochos, ad Prælatos tam spirituales, quàm seculares, vt diximus in tit. de Prælatis.

Vrgendus est hic locus de educatione liberorum: idq; sæpißime, nam multi laborem defugiunt, multi

tantum ad res terrenas putant incumbendum: & satis prospexisse se suis filijs putant, si diuites eos reliquerint, cum tamen nisi in Deum sint diuites, nihil agant. Lucæ 12.

Matribus cōmendanda est pueritia, nam de his dixit prima Tim. 2. mulier saluabitur per filiorum generationem, si permanserint in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

Et quidem educandi sunt filij in timore Dei nam alioqui & ipsi, cum tempus erit, & etiam ante suum tempus, volunt nubere, & filios procreare: quorum curam quantum ad spiritum attinet, nullam habeāt, vnde oriuntur latrones, impostores, sicarij, venefici, & pestes oppidorum, & prouinciarum.

Educatio autem in timore et amore Dei, etiā quod aliquādo vel feruore iuuētutis abrepti, vel sociorum illecebris abducti recedant à Dei cultu, nō diu tamen ferre possunt abruptam sanæ mentis consuetudinem: itaque recordati domus patris sui (nam incidunt ex Dei prouidentia calamitates, quibus admoneantur) redeunt ad semetipsos, & surgunt, & reuertuntur ad patrem vt ille filius, de quo Lucæ 15.

Aetas ipsa puerorum aptißima est imitationi & impreßioni suscipiendæ, seu illa bona, seu mala sit, quare multum in hoc laborandum est, vt bonis assuescat. sed corrupta sunt omnia, dicet aliquis. at nō propterea tamen desperandum est, sed laborandum aliquanto diligentius et maiore fiducia fore, vt Deus eo plus virium sufficiat, quo nouit rem esse difficiliorem,

nam

tiam ad seruanda præcepta sua non deserit, sed addit virtutem, & simul ex pueris illis ipsis aliquem excitat, qui vita, moribus, eruditione, prædicatione, & omni conatu alios doceat, & plures faciat adiutores in hoc opus.

Et quidem vt quisque credit, ita operatur: equos, possessiones, mancipia & omnia nostra colimus, vt bona, & nobis quàm commodissima reddamus. in filijs autẽ, quos nobis cõmodo & suauitati & honori cõparatos volumus, negligimus penitus, vt rudes & inanes educentur ad superbiam & arrogantiam, si diuites sumus, aut ad auaritiam; si sumus pauperes: et ita ad corruptionem eos, & ad perditionem educamus. ad Dei verò cultum quãuis negligentiores sint, nihil curamus, vt qui non credamus Deo nos nostráque esse curæ.

Itaque prædicatorum maximè munus est, vt animi expergiscantur ad regnum Dei, & videndum, & flagitandum: nam alioqui omnia pereunt. nam cum cessat propheta, dißipabitur populus. similiter si propheta, idest prædicator, mala vel male doceat, populus captiuus abducetur. Prou. 29. Esa. 5. nam quisquis est absq; scientia facile decipitur, & in prauas opiniones captiuus ducitur.

DE SACRAMENTIS ET VSV EORVM.

CAP. XX.

TRACTANDVM est sæpe, & ex proposito et obiter de sacramentis: quia sunt visibilia signa inuisibilis gratiæ, & quædam quasi pignora fiduciæ nostræ, vt confidamus nos Deo esse cordi, & magna sunt dona dignationis Dei in nos.

Sed specialius dicendum est Primo de Baptismo quid sit, quid significet, & quid spei afferat, Ioan. 3. ad Rom. 6. 1. Pet. 3.

Vt in eo quid sit cum dicimus esse ablutionem nō corporalium cordium, vt aqua facere videtur, sed peccatorum animę, vt spiritu fit.

Vt scilicet sciamus nos omnes esse peccatores & obnoxios peccato ex vtero matris nostræ: et ideo etiā infantes baptizari; atque hic tractare illas cerimonias & exufflationes ad Satanam eiiciendum ex infantibus: nedum è maioribus, nam hoc multum interest, vt bene creditum sit & persuasum omnibus scilicet absque Baptismo Christianorum omnes esse mancipia Satanæ, etiam si infantes sint, etiam si magnis virtutibus maiores niterent.

Ad hæc, oportere semper baptismi meminisse quo

abluuntur

abluuntur peccata, vt etiam si post baptismum peccetur, ad memoriam baptismi redeuntes recurramus ad Dominum: Qui; quoniam semel nos baptizauit, & velit semper mundos esse: itaque instituisse pœnitentiæ sacramentum ad sordes reliquas eluendas: quę non nisi baptizatis abluuntur. nam propter baptismũ cætera nobis valent sacramenta, & opera bona, qui baptismus propter Christum valet per quem omnia nobis bene vertunt.

Baptismus ergo, prout est ablutio quædam nobis ad memoriam valet, ne inquinari velimus, & etiam ad refugium, vt si cecidimus, sciamus nos non perisse, sed reditum esse nobis ad gratiam, quia semel baptizati sumus, vt non proijciamur. quia Deus est qui baptizat, is scit quid agat, non enim admittit ad baptismum vt post peccantes reijciat, sed vt vel millies reuertentes recipiat.

Valet item ad hoc, vt putemus nos in horas semper magis baptizari ac lauari, vt prima lauatio sit ianua ad perpetuam loturam; quia scilicet non modo sordes peccatorum, sed etiam imperfectum virtutis nostræ lauatur, & quotidie candidiores euadimus, vt scilicet non modo facta peccatorum; sed ipsa peccata detergantur, idest, non modo dictum aut factum superbum remittatur, sed ipsa etiam superbia mortificetur, vt non amplius superbe, sed humiliter conuersemur, et ita de alijs vitijs, cęteris ergo sacramentis, & reliqua vita baptismus ipse perficitur, vt Christus dicebat, baptismo habeo baptizari, & baptismo

quo ego baptizor, Mar.10. & Lucæ 12.

Significat item mortem, & resurrectionem, ad Rom.6. vt scilicet moriamur mundo, & uiuamus Deo.. simus sub vndis huius mundi, & ex his euadamus extinctis peccatis. vt ergo in diluuio mali extincti sunt; & in transitu maris rubri Aegyptij hostes nostri periere; ita in baptismo peccata nostra & vetus homo interficitur, & viuit is qui secundum Deũ creatus est.1.Cor.10.1.Pet.3.

Ita renunciamus Satanæ & pompis eius, vt mortui mundo simus: vt scilicet non quæ carnis sunt sapiamus, sed viuamus Deo, vt sapiamus scilicet quæ Dei sunt, ad Rom.8.

Hic magna est practica, & explicabilis: & quàm cõtra hanc baptismi significationem faciamus, quàm viuamus carni & mundo, & mortui simus Deo; & quàm nobis laboriosa sint quæ sunt Dei, & quàm facilia qua carnis, vt appareat cui viuamus, & cui mortui simus: atque ideo signum habemus baptismi non ipsam rem, oportet enim mori, & cõsepeliri Christo, & cum eo resurgere. Itaque odio oportet habeamus nos ipsos exuentes veterem hominem et induentes nouum, ad Eph.6. hæc ergo practica sit in fugandis vitijs, & alliciendis virtutibus, vt dicamus nos quotidie, & in horas baptizari, & perficere baptismum nostrum, oremusq́; Deum nostrum, vt ipse nos memores faciat baptismi sui, & semper baptizet vt tandem ad perfectum nos adducat.

Est item dicendum de spe, quid scilicet speretur à

ba-

baptismo: vt si quis roget eum, qui vult baptizari, vel qui puerum offert ad baptismum, cur id agat? si dicet, volo baptizari, quia aliter saluus esse non possum probe. sed obsecro vis obseruare quod promittis? vis mundo mori, & Christo viuere? nam si hoc non feceris, frustra baptizaris: atque vtinam tantum frustra, & non peiora sustineas. 2. Pet. 2.

Si dicat etiam quod sim periturus, & peiora passurus tamen volo baptizari in honorem inuitantis Dei, ne spernere videar consilium eius in me. probe & hoc quoque. sed nisi velis obseruare, iam tu dehonestas consilium Dei, & inficis baptismum eius: & facis vt nomen eius in gentibus blasphemetur.

Si dicat, volo baptizari, quia volo mori mundo, & Christo viuere, lauda quod ita dicat: sed rursus roga, quibus viribus, & qua sapientia id se facturũ speret? nam & Satan trasfigurat sese in angelum lucis, & multos ad hoc ministros habet. 2. Cor. 11. præterea caro ipsa blanditur, & pollicetur post fore, vt hæc facias: interim exiget, vt cum reliquis viuas, & docendus est plus sperandum esse à bonitate Dei in nos, & à fide ipsius qui vocat nos ad baptismum suum, quàm metuendum sit à seductione carnis nostræ, & ab astutijs Satanæ: & à uiribus totius mundi huius, atque in hanc spem baptizari debere: & in hanc spem infantes baptizandos offerre, ac satis magna pignora habere nos diuini erga nos beneplaciti, quod dedit iam velle baptizari et conari agere. quid baptismus designet, ipse dicit: venite ad me, & ego

reficiam vos Matt. 11. hoc ipsius per baptismum accepta refectione, futurū sperare, vt cætera impleantur, & sit requies animabus nostris, non ergo, quia confidamus de nobis ipsis, scilicet fore vt nos Christum sequamur: & carnem nostram contemnamus: & astutias Diaboli deprehendamus: & fugiamus, sed quia desperauimus de nobis ipsis, quia nos obnoxios & facile superandos, immo & iam sępisse superatos sentimus: & superandos timemus, iccirco ad baptismum refugimus: vt in protectione Dei recipiamur: vt ipse nos regat ac bonos efficiat.

Multa qudē de nobis & de his: quos baptizādos offerimus pollicemur, sed quæ non uiribus nostris ser uaturos nos, neque consilio nostro cogitemus, sed auxilio, & consilio, & protectione ipsius Dei nostri: in cuius nomine baptizamur, nam scimus frustra baptizari nos aqua, nisi spiritu renascamur. Ioan. 3. prima Cor. 10. ad Heb. 4.

Præterea, posteaquàm baptizati fuerimus ius est nobis filiorum: itaque nobis exauditio promissa est, Matt. 7. Marc. 11. Lucæ 11. hunc spiritum nouę natiuitatis cum omnibus fructibus suis petere poterimus nec negari poterit baptizatio: hoc spiritu acti, erimus filij Dei, ad Rom. 8.

Hæc, & similia docenda sunt, & animandi homines, vt digna tali baptismo petant, & ambiant, cætera vero pronihilo ducant, seque ipsos corripiant cum aliarum rerum senserint sese desiderio teneri, quia illa aliena sunt, nec digna nobis, neque respiciamus

ciamus exempla hominum contraria sentientium: ne cum iisdem pereamus, & hic turpiter uiuamus, sed ad auctorē salutis Christum, atque ad eius membra respiciamus, & solemur laborem nostrum, & instemus vt refectionem illam habeamus, qua iugum sit suaue, et onus læue, ad Heb. 12. et 13. Matt. 11. Hunc baptismum opponamus carni & sanguini, & Satanæ ipsi dicentes, non sumus nostri, empti sumus precio, 1. Cor. 6. mortui sumus vobis, viuimus Deo, immo in nobis Christus viuit, ad Gal. 2. nō possumus ad vos respicere non vos dignamur: maiora sunt quæ nobis offeruntur: vos estis detrimenta; & stercoribus fætidissimis fætidiora, nos Deo consecrati sumus, & in sanguine filii eius sanctificati, non est consiliū nobis, vt vobiscum comerciū vllum habeamus.

Cum item, & sub specie humilitatis pusillanimitas, nos occupat; dicens petere nos maiora, quàm quę nos deceant, repugnemus dicentes nos esse magnos, vt qui tanti simus empti à filio Dei. Itaque ad nos pertinere seruare præcepta & cōsilia Dei, nos esse in quibus debeat Deus glorificari, Matt. 5. 1. Cor. 6. Itaque non posse paruis esse contentos, nec decere, vt minoribus acquiescamus quàm sint ea; quæ nobis sanguine suo coemerit filius Dei, eramus enim filii iræ sine Deo in hoc mundo, nunc autem ciues Sanctorum et domestici Dei, ad Eph. 2. prima Pet. 1. & 2. Non sumus superbi cum magna; quæ sunt spiritus flagitamus; sed essemus inepti; aut etiam impii, & superbi, & nescientes quid acceperimus, si non

talia peteremus; sed vellemus multo minora; quasi nobis de nobis curandum sit, & non magis curandum sit de gloria filij Dei, qui nos redemit, ne minoris simus quàm ipse nos fecerit, & esse velit ne præposuisse consilium nostrum suo vnquam videri valeamus.

Et hæc sic intelligantur, vt nemo tamen propriã vocationem transcendat, vt dictum est in tit. de propria cuiuscunque Vocatione.

Docendum est etiam de ritu & obseruatione baptismi, & exhortandi parochi, vt suos doceãt præsertim cum sacramentum hoc sit tam necessarium, vt etiã mulierculis in casu necessitatis permittatur.

Illud adde, ne quis putet ex promissionibus, quæ in baptismo fiunt, nos teneri ad seruiendũ iustitiæ Dei, (nam etiã quod nihil nos promittamus, ac etiã quod non baptizemur, tamen iure naturæ, ac diuino tenemur seruire Deo, & iustitiæ eius) sed meminerimus ex baptismo per Dei gratiam accipere nos potestatẽ, & facilitatem faciendi ea, quæ facere tenebamur, ac tenemur, & quæ non baptizati facere non poteramus, præsertim perfecte, aut cum merito vitæ æternæ. ne quis ergo secum male actum putet, quòd ex baptismo iugum susceperit Deo seruiendi, sed gratias agat Deo, & semper habeat, quòd ipsum dignatus sit in sortem Sanctorum, & susceperit ipsum in filium, & sese patrem præstaturum baptizatis profiteatur.

De sacramento quoque Chrismatis agendũ est,

vel cum episcopus id exercet, vel cum sermo hortatorius est ad populum de ipso; uel cum aliter tractatur, nam de hoc quoque sæpe dicendum est, vt cum imprudentem arguimus, dicamus qui dimiserit dona sapientiæ, scientiæ, consilij, & intellectus, quę in sacramento chrismatis recepit? aut si nondum recepit, cur non receperit? Ita de reliquis donis fortitudinis, pietatis, & timoris Dei, cum inertes, pauidos, crudeles, aut præfractos, corripimus, & dum animamus homines ad dona illa exercenda, ad petenda hæc ipsa dona, & non negligenda, vt secunda ad Timot. 1. excita gratiam.

Sed cum adest episcopus, & sacramentum peragendum est, adhortandus populus ad deuotionem, vt non modo qui chrismantur, & qui offerunt, sed omnis populus oret, & intentus agat, expectetque dona Dei, quæ ad preces episcopi, et Ecclesiæ postulantur à Domino, ibiq; explicari possunt quæ sint, et cui usui sint ea dona, et quàm non sit contemnendum hoc sacramentum, neq; cum risu et licentia recipiendum, vt fere fit, vt res seria, et magni momenti agi videatur, et non ludicra, vt sæpe nescio qua causa factum videmus.

Admoneantur episcopus, & ministri ipsius, vt examinent, qui sunt examinandi, & instruant de articulis fidei, & moribus, quæ ad salutem sunt necessaria.

Docendum qua causa institutū sit hoc sacramentum, & qua fide suscipiendum, vt cum fructu reci-

piatur, aut si iam receptum est, sed absque consideratione, aut etiam cum mala: aut non recta intentione, agatur de hoc pœnitentia, & venia humiliter petatur, & donorum spiritualium restitutio, nempe vt in omnibus habeamus spiritum sapientiæ & intellectus consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Domini, vt scilicet gustemus, & intelligamus, quæ Dei sunt, & consulta fortiter assequamur, & scientiam pietate ne inflet copulemus, omniaq; timore Dei custodiamus, timor enim Dei non facit dubios de amore erga nos Dei, sed magis certos, vt qui flagellet omnem filium quem recipit, vt qui quos diligit corrigat, castiget, & flagellat etiam timore suo suos, quē timorem etiam sui petunt, vt caro timore Dei configatur, Psal. 118. quem timorem & ipse Deus promittit ne discedamus à se, Hier. 32. quare ab hoc timore non est timendum, sed bene sperandū, quia beati qui timent Dominum, cum Deus voluntatem seipsum timentium faciat, & exaudiat, & saluet eos. Psal. 144. Itaque timenti populo, Exod. 20. Moses dixit, ne timerent, quia Deus terruerat eos ne peccarent, quare mandatū est seruiamus Deo cū timore, et exultemus ei cum tremore, & cum timore & tremore salutem nostram operemur, quia dat velle, & perficere pro bona voluntate, ne scilicet si salutem nostram non operemur, videamur spernere illud velle, & illud perficere, quod Deus dat pro bona voluntate, & beneplacito suo, & non pro meritis nostris, aut si salutem nostram sine timore Dei

operamur

operamur simus irreuerentes tanquam Deum in nobis operantē non agnoscamus, aut non reuereamur, aut neglectim operātes tepescamus, aut de via recta decedamus. nam est etiam interdū via, quæ videtur homini recta, cuius extrema ad mortē ducunt, Pro. 16. Itaq; vereri possumus omnia opera nostra, scientes quod Deus non parcit delinquēti, Iob, 9. cum, vt dictum est, quem diligit corripit, & castigat, & assiduat illi flagella, Ecc. 30. quare qui se plus diligi à Domino sentit, is plus timet, & veretur opera sua, ne ob negligentiam aliquam flagelletur.

Cum item de sacramento sacræ cōmunionis tractatur, de qua sæpe tractādum est agatur amanter, & cum fide, ostendatur nobis benignitas Dei nostri erga nos, & quid nos velit sperare, & quid agere, vt sumamus cum fide, qua credamus corpus & sanguinem Christi verū ibi esse, item, vt credamus pro nobis datum in remissionem peccatorum nostrorum. Idq; velimus ad vitam eternam, & agi potest sermo per nomina ipsius, vt cur dicatur cōmunio, quid nobis inde spei sit; & quid præcepti, vt speremus nobis esse comunia omnia, quæ Christi sunt, & nos similiter admoneri, vt aliis comunicemus nostra. Cur eucaristia; Cur viaticum, cur sacramentum, cur sacrificium, & ita omnia explicare, & docendum est orandum esse, vt sicut est fructus vitæ, & panis viuus, qui dat vitam mundo, ita experiamur & spiritū nobis tribuat, vt effectū percipiamus sacramēti.

Et quia periculū est ne indigne sumatur, non so-

lum ex defectu fidei, sed etiam iustitiæ, & bonorum morum, quia sæpe & multũ peccamus; tractandum est de pænitentię sacramento, & bonitate Dei nostri in nos, qui constituit remedium, ne cogatur iudicare de nobis, vt remittere citius uelit peccata, quàm punire. Itaque tractandum est de contritione, confessione, & satisfactione, idq; diligentißime: nec metuendum à scrupulis, & à calumnijs modernorum, qui carnificinam vocant, & reducunt nos ad negligentiam, & ad conniuentiam, ne videamus peccata nostra, & malum nostrum. nam carnalē quandam pacem meditantur decepti decipientesq;. Sūmistę enim, quos illi hoc nomine reprehendunt, recta incesserunt ad ostendenda peccata: & vt nemo à confessione refugeret, ne carnem suam quis nutriat, & inutili pudore suis in peccatis marcescat. nam aut quis ad confeßionē veniens seruire Deo vult ex corde, & tunc nullo negocio, aut labore peccata sua cōfitetur, iam enim seipsum contemnit, & odio habet, vt seruiat Deo suo; aut hoc non vult, sed tantummodo vult confiteri, & vitam viuere quam hactenus vixit, is vexandus est scrupulis, vt intelligat ne confeßionem quidē recte facere, ne dum alia quæ Dei sunt. nam profecto qui seipsum non contemnit nunquam rectè confitebitur: semper multa celabit etiam in his ipsis quæ pronunciauerit. Itaque dicenda est veritas: & detegenda sunt hominibus peccata sua, vt homines seipsos agnoscant, & odio habeant, & ita libere confiteantur. quare fiet, vt consolationem recipiāt à Do-

mino,

mino, & requiem animabus suis inueniant, quia iugũ Christi susceperunt decernentes sese Deo, & non sibi ipsis seruituros, Matt. 11. Qui vero iugum Christi non suscipiunt, & pacem tamen volunt animabus suis, seipsos decipiant necesse est, & pacem vocent id quod magnum est bellum, vt Sap. 14. vt tandem lætentur cum male fecerint, & exultent in rebus pessimis, & in profundum malorum deduct. contẽnat, Prou. 2. & 18. Et iustificent semetipsos inuenientes confessores, & doctores à quibus palpentur, & doceantur incogitantiam, vt Deut. 29. Ezec. 33. & vt Gen. 3. dixit Serpens Euæ non morieris, Prædicatores ergo aduersus hæc ostendant peccata hominibus, & quàm magnum malum sit illa nolle detegere pastori suo: & ei quem Deus præposuit ad remittenda, & retinenda peccata, vt victi rationibus discedãt à tenebris Diaboli, & prodant quod fecerunt, & non sicut Adam ad frondes refugiant, & ad excusationes: id quod illi non modo non profuit, sed magnopere etiam obfuit, oberitq; sequentibus eum.

Et hæc facillime peruidentur, cum de virtutibus, & vitijs tractatur ad practicã: vt homines videãt quàm multa peccẽt in vno quoque peccato, & quod in seipsos multum offendunt, dum refugiunt à confessione, dum confessorem ineptum, incogitantem, aut palpantem, & adulantem desiderant, aut etiam nullum, & quàm facile omni onere liberarentur, si vere vellent esse qui debent, quàm multa peccant vsu, & in quædam ob frequentem consuetudinem,

à quibus facillime astinerent, si hoc sacramento vel lent vti: quã item facile cõfiterentur sacerdoti, & cũ fructu, si prius, idq́; sæpe & diligentius confiterentur Deo in cordibus suis, agnoscentes peccata suà, & non excusantes, nã hoc ipso quod ne apud semetipsos quidem recogitare volunt peccata sua, morsum conscientiæ refugientes, fit, vt graue onus putent confiteri, præsertim cum ne emendari quidem velint, sed tantum admitti ne excõmunicentur, sed non vident quanto in periculo versentur, & quàm facile extingui possint: & impœnitentes decedere, & quàm multa bona possunt ediscere, si confiteantur diligenter, & apud probatos, multa de hoc sacramento dicenda sunt. nam magna eruditio ex eo potest haberi, nam exeritur fides nostra qua Deum honoramus, dum vsuri sacramento Iesu Christi, remissionem peccatorum in verbo eius nos habituros confidimus, & absolutionẽ à Christi ministro tanquam ab ipsomet Christo petimus, qui eum nobis ministrum constituit.

Et de hoc sacramento dictum est aliquid in tit. de Præcep. Præl.

Sed pauci sunt qui digne cõfeßiones audiant, præsertim in paruis ciuitatibus, & vicis, idq́; multis ex causis accidit, sed forte ex eo maxime, quod multi ad confitendum accedimus & expectamus interrogari, quod maxime pueris & mulieribus accidit.

Tractandum est etiam de sacramento matrimonij, & docendum cur nubendum sit, & quia precipua causa est educatio filiorum Dei. Admonendi

sunt

sunt homines, vt discant prius esse filij, & obedientes parentibus suis, & agnoscant quid ex ipsis sibi vellent, & quid patres, & matres esse oporteat erga filios suos, antequam matrimonio coniungantur ne filios quidē gignant, sed male educent, vnde surgit populus infestus sibi & alijs: & quem Deus perdere consueuit, admonendi. Item vt matrimonium petant tanquam sacramentum Christianorum, & filiorum Dei, & non tanquam rem belluis etiam, ne dum paganis cōmunem: vt cum Deus præcipiat filijs, vt morigeri sint parentibus: non iniuria id præcepisse videatur quandoquidem parentes sciant præcipere, & docere filios suos: nam posteritatis dilectione: in qua laudetur nomen Dei in secula; ducenda est vxor, vt Tob. 8. & non in qua blasphematur nomen Dei, quod fit per prauos mores filiorum male educatorum.

Quia item matrimonium subitur in remedium contra fornicationem, prima Cor. 7. neq; permittitur amplius remedium concubinatus: vt, quamuis dura sit causa cum vxore; tamen non id remedium tribuitur à Domino, sed spiritualis castratio, Matt. 19. cum ergo dictum sit; qui non continet, nubat, melius enim est nubere, quàm vri. videndū est etiam & ob hāc ipsam causam, ne temere matrimonio alligemur, non enim id Apostolus dixit, vt statim quod adolescens tentatur, nubat, & quàm primum obuiam habuerit assumat, ne ad horam in fornicationem cadat, sed videndum est an sit nubendi facul-

tas, multi enim ſic nubunt, vt ſtatim dimittant coniuges ſuas, & dum quærunt victui neceſſaria corpore, & habitatione ſeparantur, ille mercaturam, ille militiam ſequitur, ille ſeſe alteri locat ſimiliter & mulieres locant operas ſuas vnde frequentiſſime fit, vt dum vterq; fornicationem vitat, incidat, in adulterium, itaque expeditius remediũ eſt illud ſpiritualis caſtrationis, oratione adnitentes, vt donum caſtitatis accipiamus, Sap. 8. nam Apoſtolus conſulit melius eſſe nubere quàm vri, his qui poſſunt recte nubere, & qui conſilium petunt quàm uocationem ſequi debeant cælibatus ſcilicet à matrimonij, quandoquidẽ cælibatus cõſulitur à Chriſto, Matt. 19. & prima Cor. 7. & ipſi ſentiant tentationum vſtiones & habeant vnde nubant & vxores nutrire poſſint.

Et quidem homines qui domi deſidẽt, aut laboribus ſuis viuunt in domo ſua, ſi nõ continent, melius eſt, vt nubant, ſed ſic tamen, vt prius conentur tentationes ſuperare. nam etiam & qui donum habent caſtitatis tentantur, vt Matt. 7. tam ædificantibus ſuper petram, quàm ſuper arenam, veniunt venti, pluuiæ & flumina, ipſę ſcilicet tentationes, ſed fundata in petra conſiſtunt, reliqua vero decedunt, melius, dico, ij nubunt quàm in perniciem aliorum viuunt, nam vt nunc videmus; quia parum attenditur diuino cultui: magnus locus tentationibus præbetur, qui vero laboribus ſuis occupatur, & Deo laborare conatur, is facile ab his tẽtationibus liberabitur, & non opus erit illi nubere, ne dura ſit ei cauſa

cum

cum uxore, in mulieribus difficilior quędam causa est, quod à multis tentantur, veruntamen si & ipse vacauerint cultui Dei, facile à tentationibus, & tentatoribus euadent.

Sed quoniam de matrimonio agimus, admonendi sunt omnes cui nubant, orentq; à Domino, vt recte nubant, ne tribulationem carnis quam habituri sunt huiusmodi, prima Cor. 7. habeant ad perniciem, sed ad salutem, nam proprie Dei donum est uxor bona, & prudens, Prou. 19. Itaque considerent ętatem suam, & alterius forment bonos mores, & Deum timeant, ne malus malam ducat, & econuerso, seruent ritus ecclesiæ benedictionum, et orationum, confiteantur peccata sua; dotem magnam uirtutem putent, ita ut dotem non nisi propter necessitatē petāt.

Sed de matrimonio multa dicenda sunt, sed hæc dixi, ut ostenderem quomodo ad practicam reducenda sunt oīa, quæ de matrimonio dicuntur, & quod maiore consilio, & cunctatione ad matrimonium, quàm ad cælibatum eundum est, ut mox in sacramento ordinis dicendum est.

Quisquis autem iam nupsit, speret in Deo; non fugiat labores, sed auxilium petat à Domino: qui sacramentum matrimonij instituit, nam gratiam, & auxilium confert ad onera matrimonij perferenda ad filios instruendos, & confiteantur peccata sua, præsertim ij qui temere contraxerunt: & veniam petant; & matrimonij gratiam, vt mala concepta emendent, & meliora reddant posteriori diligentia,

De sacramentoque ordinis interdum dicẽdum est, tum propter initiatos, vt intelligant munus suum, tum propter initiandos, & propter parentes, qui filios suos ad eundem ordinẽ destinant, vt sciant quid petant: & quam educationem habere debeant, qui eum ordinem sumunt.

Et in primis laudandus ordo, suspiciendus proponendus est; vt qui procedat à Domino: & in quo per manuum impositionẽ suscipiatur gratia Dei, atque ideo speciali quodammodo vocentur ecclesiastici, & serui Dei, & appellentur etiam Christi, & hæreditas Domini, sic tamẽ, vt populus intelligat omnem Christianũ esse Christum, ad Gal.3. esse Dei seruum & filium, & Ecclesiam, & etiam sacerdotem, & regem, prima Pet.2. Apoc.1. sed alio modo & specialiori eos, qui sacros habent ordines, nam primo in baptismo consecrati sunt, vt cæteri in seruos, & filios Dei, & sacerdotes & reges ad offerendas spirituales hostias semetipsos, ad Rom.12. prima Pet.2. Posteà per vnctionem, & manuum impositionẽ sacrantur ad offerendum Christi corpus, & verum & misticũ, prima Timo.5. pro ecclesia; et pro toto orbe.

Ac propterea sacerdotes, & serui Dei speciali quadam appellatione dicuntur, non vt excludatur populus à debito seruitutis; qua omnes tam mares, quàm feminæ debent, sæpèque ipsos Deo spirituales hostias offerre, sed vt doceant populum id agere: hoc ergo inculcandum est, nam in populo nata est hæc opinio, vt præcepta Dei ad sacerdotes, non ad se

pertinere

pertinere putāt; quasi sacerdotes soli Christiani sint, & seruari velint soli.

Ad hęc, tractanda sunt illa specialia, quæ ordinibus incumbunt, vt sunt prædicatio, absolutio, & confectio corporis Christi, & sacramentorum administratio, vt admoneantur quàm puri, quàm aliorum amantes, quàm docti esse debeant, & quàm diligentes ne tot & tam necessaria sibi, & populo talenta aut indigni sumant, aut in terram defodiant, aut turpiter administrent.

Tractandum item est de bonis & salarijs temporalibus, quæ sic ordinatis conferuntur, ne propter illa principaliter, sed propter Dei honorem, & proximorum salutem initientur, & initiati administrent, et quàm oporteat eos esse eleemosinarios, qui pingues eleemosinas capiunt, & quàm non erunt excusabiles, si redditus accipiant; & negligant officium, & munus suum.

Tractandum etiam de horis canonicis: & oratione, & præcibus, quas potest, & tota Ecclesia debent facere, ne immundi sint ministri Ecclesiæ Christi, ne qui iram Dei debent reprimere; prouocent prauis moribus, ne scandalo sint populo, præsertim quærenti scandalum, & excusationem in peccatis suis, sed præbeant specimen sanctitatis, & donorum Dei, & quod non in vacuum gratiam Dei receperunt, vt ita Deus eos super candelabrum ponat, vt luceant omnibus qui in domo sunt, ne sint faculæ extinctæ, & sal infatuatum, Matt. 5. sed luceant, & condiant,

vt homines videntes lumen utantur consilio, & auxilio ipsorum: nam & ciuitas sunt supra montem posita, & nisi luceāt, multū offendunt, nam propter malos multorum mores, cæpit confessio male audire, & ita populus sacramento illo absolutionis, vel priuatur in totum, vel magna ex parte. nam vbi fidem habent confessorem sese bonum habituros, nemo detrectat confiteri, immo quisque vltro appetit morsus conscientiæ depositurus, & consolationem, & absolutionem relaturus; cum vero malos vident cuntatius agunt, & admittunt conuicia, & maledicta in confessionem, quæ in homines malos non in sacramentum possunt conuenire.

Quia item in ordinibus requiritur cælibatus, quārem hodie quidam calumniantur: opus est, vt Deo quoque non nihil dicatur, illi ergo qui cælibatum contemnant dicunt Ecclesiam nostram hoc habuisse à Satana, prima Timot. 4.

Sed Ecclesia nostra non probibet nubere, vt ipsi mentiuntur: sed volentes ad ordines sacros accedere, iubet vt bene considerent, quia postea nubere non licebit, quisque ergo sibi ipsi hanc necessitatem cælibatus adducit, nemo illi eam imponit, & hæc iustior est causa cælibatusq; eorum, qui vt matrimonij onus effugiant nubere volunt. nam ij per gratiam, quæ in ordinibus accipitur per sacerdotalem professionem, et conuersationem possunt bene sperare: fore scilicet, vt caste viuant, præsertim cum consilium Christi, et Apostoli sequantur in cælibatu suscipiendo Matt. 19. 1. Cor. 7.

1.Cor.7. Itaque magis cunctandum est in matrimonio contrahendo, de quo neq; præceptum est iam amplius, cum non amplius sumus sub lege neque consiliũ cum de cælibatu consilium sit, atque ideo non de matrimonio, quod illi opponitur nisi in casu incontinentiæ & vstionis.

Prçterea, cum qui nubit diuisus sit, & partem hæreat coniugi, partim Deo, magis expedit vt ex toto Deo coniungamur, nam sæpe etiam fit, vt qui nubit non modo diuisus, sed interdum totus fiat coniugis relicto Deo, non iniuria ergo Ecclesia voluit, vt qui sacris operati sunt, & à quibus tam multa requiruntur, & quibus tam multa spiritualia talenta conferuntur, sint cælibes: vt ex toto his vacent, neq; vxorum cura, & filiorum impediantur.

At multi scortantur & peius etiam peccant, at tales homines etiam si ordines sacros non haberent, idem facerent, ac fortasse etiam peius, nam cęlibatus dum non sumitur propter regnum cælorum: neque in præcepto est, neque in consilio, tales item etiam si nuberent, quandoquidem Deum non timent plura etiã cum vxore propria peccarent, & sine vxore vt fit à multis, non enim vxor est remedium incontinentiæ impuris, quibus omnia sunt impura, ad Tit. 1. sed est ijs qui timent Deum, & talibus Apostolus consulit, nubant magis quàm vrantur, scilicet antequàm sese cælibatui obstrinxerint. nam si se obstrinxissent cælibatui, non hoc illis consuleret, sed eos coërceret, ne primam fidem irritam facerent ne damnationem

haberent. 1.Timot.5.

At plurimi dum Sacerdotorum diuitias vident, cum eas absque cælibatus professione habere non possint, cælibatum profitentur, qui alioqui nuberent, at ij male, neque tamen soli, nam & multi, vt matrimonij labores effugiant aut alteri quippiam rei vacent, vt lucro, & militiæ, & scientijs abstinent à matrimonio, & non propter regnum cælorum cælibatũ arripiunt. Non propterea tamen cælibatus est malus, aut lex hæc, quæ sacerdotes cælibes vult mala est; cum ipsa ob regnum cælorum præcipiat cælibatũ his, qui præfecti quidam sunt regni cælorum; cum multi etiam pro rebus multo minoribus sibi ipsis præcipiant cælibatum, non igitur ob id, quod mali re bonũ male vtantur, amputanda est res bona; sed magis illi refellendi, & puniendi, qui ea re male vtuntur.

At castitas Dei donum est, non omnes capiunt; sed qui potest capere capiat Matt. 19. vtique castitas Dei donum est, vt virtutes omnes, neque propterea tamen fit vt ijs ipsis caremus: excusemur, quia Deus qui dat hæc dona iussit, vt à se illa peteremus; Matt.7.Luc.11.cuius fructus inter cætera est etiam continẽtia, & castitas, ad Gal.5.& Sap.8.dicit, precibus castitatem impetrari, neque enim sub lege sumus, vt necesse sit nos per legem nubere; sed liberi sumus à lege. Itaque cælibes esse possumus non obstante lege: quare & iure optimo auxilium petere possumus à Domino, ad cælibatũ caste custodiendum, quandoquidem liberans nos à lege fecit nobis cælibatus potestatem,

testatem, neque dixit Dominus non omnes possunt capere, sed tantum, non omnes capiunt: qui potest capere capiat, ac si dicat, quia qui possunt capere nõ omnes capiunt, consulo, vt qui potest capere capiat; aut si etiam voluit dicere, non omnes posse capere; intelligendum est id dictum pro eo tempore, quando nondũ liberati erant omnes à lege: cum nondum ipse passus esset pro nobis.

At Apostolus vult eligi unius vxoris virum, prima Timot. 3. Quis hoc negat? neque tunc aliter fieri debuit: omnes enim tunc nubebant, cum ergo euangelium prædicari cępit, homines grandeui aut certe idoneæ ætatis ad sacerdotium vocabantur: ij si viri boni erant, iam nupserant antequam euangelio crederent. nam erat infame non nupsisse antequàm Christus de cælibatu eßet locutus, ita vt sciretur, & crederetur à mundo, vt ergo Apostolus & viros bonos, & ætatis maturæ eligendos ad sacerdotium diceret, dixit, vt eligatur vnius vxoris vir, quia boni uiri, vt dictum est maturioris ætatis haberi non potuissent, aut vix potuissent id temporis cęlibes sine nota, vt autem ostendat velle sacerdotes quàm poßit proximos esse cęlibatui dixit, vnius vxoris virũ, nã cũ tũc & plures ducerentur vxores: & concubinæ etiam adderentur, noluit ex talibus eligi quanquam ex his esse poterant optimi viri, vt fuit Abraham, & Dauid, & alij, tamen ex his noluit, non quia omnes mali, aut non boni, sed quia necesse erat vt nimis essent occupati domibus suis, itaq; si tẽpus consideres Apo-

ſtolus tantum non cælibes, immo quàm proximos cælibatui eligi voluit, vt ſcilicet ſi, quod ſępe euenit, vxor decederet, eſſent & cælibes non ergo apoſtolus contradicit, aut dicit nunquàm cælibes eligendos: ſed tempus illud ſpectauit in quo nondum copia cælibum eſſe poterat ſtante ad huc lege, aut ſtare credentibus hominibus, quę præciperet nubere.

Et Eccleſia noſtra in hoc decreto voluntarij cælibatus oſtendit quanti faciat: & facienda ſint verba Chriſti, & Apoſtoli eius cælibatum conſulentis, & facit extet multorum exemplum qui Chriſti verbis adhæſerunt. nam & ſi multi ob id quod liberi ſint à lege nuptiarum contrahendarum, cęlibes fiunt non ob regnum cælorum, tamen multi ob regnum cęlorũ, & vt bene adminiſtrent cælibatum arripiũt, & ideo non eſt doctrina dæmoniorum, ſed doctrina honorãs conſilium Chriſti Ieſu, moderni autem, qui hoc reprehendunt; indicant cuius ſpiritus ſint, nempe carnis, nos enim ad nuptias vellent extrudere, ac ſi nunquã Chriſtus veniſſet, & nunquam de cęlibatu verba feciſſet: & nunquam à lege liberaſſet, & in hoc ſicut in multis fallacia Satanæ decepti obſcurare volunt regnum Chriſti: & quod eſt odioſius id agunt ſub nomine Chriſti, vt nomen illi relinquant rem auferant.

At ſacerdotes multi habent concubinas, & filios melius nuberent quàm tanto in peccato degerent cum multorum offendiculo, cur non dicunt tales contemptores legum publicarum, & poteſtatuum puniendos, magis quàm palpandos, & fouendos? an au-

dacia

dacia contemptorum laudanda est, & non improbanda, vt eam. 2. Pet. 2. & Iudas reprobat sua Epistola? ergo quia præfractè, & audacter legem contemnunt, permittendum est eis, vt nubant, & non magis vocandi sunt ad pœnam?

At maritorum multi essent boni Ecclesiæ, quorũ ministerio per hanc legem Ecclesia nunc priuatur, at rursus multo plures essent mali, & multo plures boni cœlibes: quorum magnus in Ecclesia est vsus, omitterent propter vxores, & filios officium suum. Itaq; perpensis omnibus, & consideratis, melius est vt ita fiat, nam etiam antiquum sacerdotium secundum ordinem Aaronis prope ad castitatem cœlibem accedebat neque enim his sicut cæteris nubere passim licebat, neque cum essent in ministerio licebat habere cõmercium vxorum, & tamen illis nõ erant tam multa, vt nostris commissa: neque enim habebant cognitionem, & iudicium peccatorum, et absoluendi potestatem, neque prædicabatur adhuc regnum cœlorum: vt legem frequenter explicarent.

At multi priuantur nubendi libertate, quàm habent à Deo, tantum quia rem bonam volunt agere: tantum, ir. quam, quia sacerdotes volunt fieri, expostulent hoc etiam cum Apostolo: qui non admittebat nisi vnius vxoris virum, an Ecclesia minorem potestatem in hoc habet, quàm Apostolus cum in Ecclesia etiam Apostoli sint?

Præterea, huc nemo à se ipso debet accedere: sed vocari debet, ad Heb. 5. satis superq; est, vt ostendat

desiderium suum Ecclesiæ: quod scilicet ipse paratus sit administrare, & laboresq́;, et pericula subire pro Ecclesia, Ecclesiæ autem est per suum aut suos præsides, vel aliter ipsum eligere. 1. Timot. 3. declarauit iam nunc Ecclesia sese nolle nuptos eligere ad hoc, cur ergo quisquam sese ingerat, ab Ecclesia non vocatus? cur nubere cum velis, præferri vis eis qui nubere non volũt, an nõ ẽ aptior cõditio cęlibatus ad hoc munus?

Prędicatores ergo retundere, & refutare debent arrogantes talium spirituum, & simul Ecclesiam admonere; videant ne hæc sint flagella Dei, & admonitiones, quibus admonemur, vt in sanctitate caste viuamus: vt filios bene eductos ad ordines offeramus, vtque prælati nemini cito manum imponãt, sed examinent eos: idq́; iam diligentissime, ne per malos initiatorum mores, & turbam, & licentiam eorum, bonum & sanctum Ecclesiæ decretum infametur, nam & si magna turba cælibum est etiam non initiatorum, neque initiari volentium; qui pessime degunt, tamen eos mundus non attendit: sed in sacerdotes oculos conijcit in eosque ob loquitur, quia Dominus id permittat: vt tandem ordo redeat in lucem suã, nam dormientibus hoĩbus, inimicus homo superseminauit zizania, Matt. 13. imprudẽtes autem serui, vt auferant zizania in periculum adducunt etiam & triticum, sed Dominus eos prohibet: sed tantum à nobis exigit emendationem, & curam ne dormiamus, neque sinamus amplius superseminari zizania, nam, quia non boni tantum cælibes, sed

malitiosi

malitiosi etiam & continere nolentes occupant bonorum cælibum locum fit, vt & nupti sibi quoque ius esse ad ordines ducant, tanquam meliores sint, vt vere sunt, matrimonio sancte degentes, quàm in cælibatu incontinenter agentes, ac si dicant prælatis, eligite bonos, aut tolerabiles, alioqui, si omnes admittitis, nos quoq; admitti volumus, qui, tam & si vxoribus, & filijs impediti sumus; tamen à criminibus illis liberi sumus, quibus tam multis alligatos, atque obnoxios ad ordines, & sacerdotia admittitis nihil minus quàm spiritualia cogitantes.

Sed tamen & his quoque responderi potest, quod scilicet facilius cælibes à peccatis liberantur, quàm mariti ab impedimento suæ domus. Ideo vigilandũ est, ne cui cito nimis manus imponatur. 1. Timot. 5. nam lex hæc cælibatus sancta est, & digna tempore reuelati euangelij, & fructificantis.

Fuit primum tempus, cum pauci in orbe essent homines, vt permitterentur & vxores, & concubinæ plures, vt terra hominibus impleretur, scortatio autẽ meretricia non permitteretur, quia non ad filiorũ productionem, sed ad lasciuiam esset, fuit item tempus, & cum populus Dei peculiaris exiguus esset, quare & ei idem quod diximus de vxoribus, & concubinis permitteretur, præsertim cum mulieres cuperẽt esse matres ex his: quos credebant habere promissiones Dei de Meßia, simulq; vt mores eorum discerẽtur, & filios ex his susciperent, qui eos docerent: itaque si vxores talium esse non poterant, quæreba-

tur fieri concubinæ: aut furari concubitum eorum, vt Thamar fecit; nunc autem; quãdo iam terra impleta est hominibus veniens filius Dei, & ipse dixit crescite & multiplicamini, & replete non terram, sed cælum, aut vtrunque, sed magis cælum, nam ex hoc tempore regnum cęlorum annunciatur, itaq; cõsulit nos ipsos castremus propter regnum cælorum: & relictis omnibus ipsum sequamur, quia sic etiam centuplum in hoc mundo accipiemus. nam speciales filios multo plures per Euangelium in Christo generabimus, quàm ex vllis vxoribus, aut concubinis in carne generare potuissemus. Itaque, iam neque mulieribus causa nubendi est: aut in cõcubinatum sese tradendi, sed eis quoque virginitas consulitur, vt uacẽt Deo. 1. Cor. 7. & nuptis quoque & nuptaris datur mandatum vt frequenter orent: et magis Deo quàm generationi vacent, atque vtinam, omnes ita faceremus, vt optabat Apostolus, omnes nos esse sicut ipse. in hoc erat, nam facile paganorum, & infidelium populos conuerteremus, & impleretur domus Dei, & in cælum migraremus, nunc autem dum magna pars nostrum neque nubit, neque cælibes secundum permißionem, & consilium Christi est, sed pro nostra, & carnis voluntate nubimus, aut à nuptijs abstinemus, fit vt interdum non iniuria male ab infidelibus audiamus.

De sacramento quoque extremæ vnctionis dicendum interdũ est, pręsertim cum de morte sermo habebitur, vt scilicet homines nequaquam hoc sacramentum

mentum contemnant: sed appetant præsertim cum infirmitas eos nondum ita grauauit, vt non intelligant quæ aguntur. nam magnam habere poterunt consolationem, & spem bona concipere, cum videant sibi non defuisse remedia, quibus Christi Ecclesia utitur. ad hæc quisque bene potest sperare sibi omnium preces, & merita prodesse: quandoquidem cum omnibus communicat in sacramento & ritu, vt simus omnes idem, & idem dicamus omnes.

Declarentur item verba, & cur ad omnia membra vnctio adhibeatur, vt cum dicitur, & per hanc vnctionem, &c. quicquid &c. vitio deliquisti.

Intelligant omnes omnibus membris peccare, & indigere gratia & gloria Dei, per Iesum Christum, & eam tunc per sacerdotis ministerium sibi applicari. quæ gratia per vnctionem significatur: nam Christus vnctus, & vnctio est, qua sanctificamur. simul quoque declaretur per hoc sacramentum non ita peccata dimitti, vt quis propterea putet sibi necessaria non esse pænitētiæ, & eucharistiæ sacramenta, si possint haberi, sed cum haberi non possunt, aut cum habita sunt, & tamen supersunt vel grauium delictorũ reliquiæ per ignorantiam, vel venialium, tunc ea per hoc sacramentum dimitti, & hominem ad quietem decedendum armari.

Hortari postremo ne sacerdotes contemnant ordines suos, sed exerceant, & indormientem excitēt gratiam Dei, quæ in ipsis est per manum impositionem, 2. Timot. 1.

Populum quoque ad hæc ipsa magnifacienda, ac presbyteros omni honore vt dignos ducant, quorum in tam necessarijs rebus opera vtantur, vtq; velint, & ad vitam, & ad mortem eos adhibere cum omni reuerentia ipsos vt Christi ministros accipientes, per quos Christi gratiam sint & in absolutionibus, & benedictionibus & vnctionibus, & prædicationibus & exhortationibus, & in commendatione animæ, quæ fit in extremis, accepturi. nam dabuntur hęc omnia his, qui in vita sua ministros Dei sacerdotes honorauerunt, & negabuntur contẽptoribus, vt scriptum est. noluit benedictionem elongabitur ab eo. at vero qui eam voluerunt, & si ab ineptis, & impijs maledicantur, tamen benedicuntur à Domino etiam per suos ministros, & dicent Domino maledicẽt illi scilicet impij, & tu scilicet Deus benedices, & Dominus benedicet populo suo in pace, & adduci poterunt exempla multorũ, qui in morte, etiam cum vellent, non habuerunt sacerdotes: eo quòd tales in vita sua illos contempserunt. contra verò alios, qui ministros Dei honore dignos arbitrati sunt, nõ esse derelictos; sed inter bene precantium, & ministrantium vota, & benedictiones ad Deum concessisse in pace. nam vbi populus recte de sacris & sacerdotio sentit, ipsi quoque sacerdotes corripiuntur, & iudicium metuunt eorũ, à quibus honorantur, & dant operã, vt digni sint honore, quo afficiuntur à populo.

Quare prædicatores commendent hæc, & rationibus fulciant, vt ex vero dici videantur, & vt populus

pulus

pulus doceatur, & diſcat doceri, & credere præfe-ctis ſuis, in eisq; ordinem & gratiam Dei venerari, quæ per impoſitionem manuum confertur.

Doceant homines cum infirmantur rogare ſuos, vt admoneant, & ita ipſimet petant ſacramenta, dum mente valent: nam ſic eis valebit vnctio, etiam cum per infirmitatem non ſentient quid agatur.

DE ORATIONE.
CAP. XXI.

DE ORATIONE *dicendum eſt & diſerte ex propoſito, et in omni prædicatione. præſertim vt ſemper doceatur populus orare, vt detur ei intelligentia, dictorum, & dicendorum, & impletio eorum quæ recta ſunt, & prauorum fuga.*

Laudandus eſt Deus, & populo commendandus, qui dignatur nos oratione, & pollicetur ſeſe nos nobis ſe quæ non indigna rogantes auditurum, vt ſciamus nō caſu geri, quæ fiunt, ſed conſilio Dei, ipſumq; Deum velle eſſe rectorem noſtrum, & ad ſe verba fieri à nobis. hoc ipſum vbi recte percipitur, ſufficit ad populum inſtruendum, vt recte ſemper oret.

Declarandum eſt nobis eſſe orandum Deum, & ſanctos ſuos: ſed Deum vt Dominum, & largitorē omnium, ſanctos autem vt Dei miniſtros, & qui pro

nobis intercedant, & qui nostras comitentur preces, & quòd non sine fructu oramus etiam cum viuos inter nos homines etiam peccatores, ipsos oramus vt orent pro nobis, quia scilicet tam bonus nobiscum est Deus noster, vt etiam malos, & infideles audiat, dum pro nobis orant, vt habemus exemplum in Balaam, qui animo erat auaro, & maledicendi cupido, & tamen benedicentem populo Dei, Deus audit. Num. 23. & 24.

Ex quo exemplo colligere possumus nostras quoq; orationes audiri, etiam cum simus peccatores, si iusta, aut pro iustis petimus, idq; nobis magnopere prodesse potest. nam iusti illi possunt intercedere pro nobis, & iusta illa quę rogauimus; erunt aliquibus occasio conuersionis & salutis, atque ideo & nobis. quare non cessandum ab oratione, etiã quod iniusti simus, neque ob id quia etiam quòd simus peccatores pro iustis oremus, putemus apud ipsum Deũ nos esse arrogantes, sed magis nos esse humiles & agnoscentes nobis opus esse iustorum profectu, & iniustorum conuersione, & bene sperantes: quia scilicet tanta est bonitas Dei nostri, vt hoc etiam boni consulat. ergo siue iusti, siue iniusti simus, orandum est nobis, & pro nobis, & pro aliis: pro nobis, vt perseueremus, & perfectiores euadamus, si iusti sumus, & vt emendemur, & ab iniustitia ad iustitiam conuertamur si sumus iniusti. nam semper esurire, & sitire iustitiam Dei debemus, & eam semper quærere. Matt. 5. & 6. itaque nunquam in peccato esse debemus,

mus, & nunquam nos satis iustos putare, sed maiora semper quærere, ad Phil.3. nam hoc est omnium vocatio, vt quisque in sua ipsius vocatione quærat effici & euadere, quàm perfectissimus. Matt.5. nam quo sumus iustiores, hoc Deum magis amamus, & honoramus, id quod oẽs sumus debitores, Ecc.18.

Quia ergo dicitur orandũ esse cum fide, spe, charitate, & spiritu, & humilitate; quia aliter placere Deo nõ possumus, 1. Cor.13. ad Heb.11. ad Rom.8. non ita dictum est, vt hæc habere nos non videntes desideremus, sed magis dictum est, vt hæc solicitius cupiamus, & appetamus, & petamus: & promissum nobis est, quòd id dabitur, Matt.6. Mar.11. Luc.11. & propterea, Matt.6. vt quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, & prima Cor.13. dictum est, vt quæramus charitatem, & ita de reliquis. at si quis contendat dicens, non esse absque Christi gratia, & spiritu quicquid spei habemus, in orando, dicendum est, vera eum dicere, ac propterea ne oraremus quidem ullo modo, si nihil luminis haberemus, nam neq; crederemus Deum, neq; Christum eius, prima Cor. 12. præuenimur quidem donis Dei. at quia nisi in nobis fructificent, auferuntur vt talentum ocioso aufertur, Matt.25. & infructuosus palmes amputatur, Ioan.15.

Dicimus inter alia remedia, quibus Dei dona coluntur & exercentur, & per priora impetrantur secunda & tertia, & augmentum priorum, esse ipsam orationem: itaque omnibus esse orandum cum

quacunque fide, spe, aut charitate possumus, interq; alia quæ oramus, petamus & ipsam fidem, & spem, & charitatem, & cætera omnia, vt ille dixit, credo Domine, adiuua incredulitatem meam, Marc. 9. & Apostoli augmentum fidei petierunt, Lucæ 17. & Ecclesia fidei, spei, & charitatis augmentum, & omnia petit. & nos cum quærimus regnum Dei, & iustitiã eius simul omnia petimus. nam in his omnia continentur.

Sed dicendũ est etiam per singula, & docendum quomodo per hæc oremus, nam orando exercemus fidem. nam sic credimus Deum esse, & esse bonum, & retributorem, & posse, & velle dare nobis quæ rogamus, si rite, ac recte, & perseuerãter, et non iniusta, & se, nobisque non indigna postulamus, & iustum esse ipsum, et misericordem, et nostri amãtem.

Exercemus item spem, quia sperantes ipsum boni cõsulere et nostras orationes quamuis imperfectas admittere, et exaudire, ac meliora interdum, ac maiora, multoq; plura quàm petamus dare sperantes oramus in spe.

Similiter et charitatem in oratione exercemus, quia et orando ad ipsum amandum accendimur, et quia volumus bona, et boni effici, vt ipsum magis, ac magis amemus, et vt nobis et proximis nostris ad suum honorem, atque amorem magis nos accommodemus. nam non nihil charitatis est velle, & optare ipsam charitatem, eiusq; incrementum, & ea per quæ charitas, vel impetratur, vel conseruatur, vel

exercetur, atque augetur.

Ex his docendum eſt ad quid orandum, vt dicamus orandum pro cultu Dei noſtri, nam alioqui ipſe non eget orationibus noſtris, neque vt inſtruatur, neque vt flectatur, ſed is cultus Dei eſt, quem Deo debemus, quia ſic ipſum honoramus, dum ipſum, vt ſuperiorem orando agnoſcimus: atque ſic magnam eius bonitatem ſuſpicimus; qui tanti nos facit, vt noſtras dignetur orationes. orandum item, vt impetremus nobis, et omnibus bona eaq; principaliter ad gloriam Dei noſtri, quia ſcilicet ſi boni ſaluiq; fuerimus, Deum honorabimus, & fratribus noſtris proderimus. itaque ſalutem, & ſalutaria petere debemus cum quia Deum diligere, & honorare debemus ex toto corde, id quod in malis, & in damnatione non fit; tum quia debemus fratres diligere, eiſque bene eſſe optare, id quod in peccatis non poſſumus. beneq facere

Ergo danda eſt opera, vt oratio recta ſit, & recte fiat, vt ſic reddatur Deo ſuus cultus, vt etiam ſi nihil eorum, quæ petimus, impetremus, tamen oratione ipſa colamus Deum noſtrum. neq; tamen hæc ſcrupulis impediēda deuotio, aut oratio eſt, ſed etiam ſi negligenter, & ſi cum peccato, & male orauerimus, tamen ab oratione ceſſandum non eſt: ſed vbi id aduertimus, accuſare nos ipſos eius rei debemus, et veniam corde petere, & pergere ad orandum, vt dimittat Deus quod offendimus, & ſuppleat quod defecimus, & donet quod boni ipſe inſpirauit, & fieri à nobis fecit, neque quod ad orationem imparati

accedere nō debemus Ecc. 18. iccirco dimittenda est talis oratio, sed magis vrgenda est cum petitione veniæ ob negligētiam nostram: nam Deum amicum, & patrem habemus, qui omnē occasionem arripiat, quo nobis bene faciat.

Orandum firmiter, ac perseuerāter ita vt etiam importunitas admittatur, Matt. 7. et Luc. 11. quod ad fidē, & fiduciam pertinet, quæ nobis debet esse quàm certißima in his petendis, quæ ad salutem necessaria sunt, Iac. 1. Marc. 11. Itaque arguere seipsum quis debet, cum cessat ab orando quasi non impetraturus. citius credat se impetrasse quod suo tempore sit accepturus, scilicet cum quæ sunt ad salutem petit.

Orandum humiliter, vt scilicet non tuam dignitatem, sed diuinam dignationem alleges, vt petas non debitum prēmium, sed indebitam gratiam, vt Deum agnoscas gratiosum, non debitorem nisi cum ex fiducia cum ipso iocaris, aut debitum non tibi, sed Christo petis, vt cum petis in nomine Iesu tanquā ipsius procurator, vt per Christi merita Deus tibi hoc, & illud donet, etiā ex operibus tuis, quatenus in Christo sint facta. nam tunc allegas Christi merita operantis, & operati in te ad Gal. 2. vt ita non modo gratiosum, sed & retributorem Deum faciamus, non misericordem tantum, sed etiam & iustum, nam & his nominibus honoratur, & talis credi vult. Hier. 9. Qui facit misericordiam & iudicium, & ad Heb. 11. qui sit retributor, & quoniam retributor bonorum nobis ob

nostram

nostram indignitatem esse non poterat: vt quibus non nisi pœnam, etiam quòd veniam peccatores peteremus deberet infligere, posuit peccata in filio suo, et in nobis merita filij sui: vt posset nobis esse non misericors modo, sed etiam bonorum retributor. veruntamen filius docet nos vt misericordia magis quàm retributione gaudeamus, cum dixit. cum omnia feceritis dicite serui inutiles sumus. Lucæ 17. certe sicut nullum creditorem habemus nisi Deum, vt cui dicamus tibi soli peccaui, ita nullum habemus debitorem nisi Deum: nullus enim nobis iustificationem dare potest, nullus tantopere illam nobis promisit, aut à se peti mandauit præter Deum. huius ergo rei nobis tam necessariæ solus Deus est debitor: vt qui solus eā promiserit, aut certe qui solus eam præstare possit, quiq; solus, vt testaretur se nobis illam præstare velle, pretium dederit vitam filij sui, vt neminem indignum ea posset vltra iudicare. atque hic, vt videmus quàm ob rem sese nobis debitorem fecerit magna nobis causa est humilitatis, nam videmus eum id fecisse, quia nobis nihil virium erat ad nos ipsos liberandum.

Aliqui humiliter orare sese putant, si orantes tanquam indigni putent se nihil impetraturos, sed tantū orent, quia iußi, vt debitum orationis cultum reddāt Deo. sed non est bona humilitas, quæ sine fiducia est Deus enim vult, vt fidē impetrandi habeamus ob suā ipsius erga nos bonitatē, & quia non meritis nostris, sed meritis Christi, & fidei suæ promißionis petimus, nam etsi ne oremus quidem digne, tamen quia pete-

re ex ipso debemus, vt remittat nobis peccata, & suppleat defectum orationis nostræ, cum fiducia petendum est; alioqui indigni simus qui audiamur, Iac. 1. & hæc fiducia esse debet in petendis rebus, quæ necessariæ sunt ad salutem, & quæ promissæ sunt nobis nō meritis nostris, sed meritis Christi. in rebus autem nō necessarijs, non quidem sine fiducia, non tamen cum certa fiducia orandum est, quia illæ nō sunt promissæ. veruntamen & si quis non poßit animum confirmare etiam in his, quæ sunt ad salutem, non propterea orationem dimittat, sed oret vt potest, et inter cætera hoc ipsum augeri, scilicet fidem suam, & spem in bene orando.

Alij dicunt orationem esse humilem, cum à Domino petimus ob nostra peccata damnationem: vt qui inuitati resideamus in estremo loco. Lucæ 14. sed damnationem petere non est extremum locum velle; sed magis est velle nullum in domo locum; sed foras mitti, quod nō est petendum, præsertim cū iam nobis voluntatem suā nobis Deus ostenderit, & quid ab se petere nos velit. quare non est humilis, qui dānationem petit; sed qui dānationem debitam sibi credit, & salutē tamen per merita Christi petit, sic enim sese demittit, & donum meritorū Christi, quod oblatum & datum est, accipit, vt qui tanto magis eo putat se indigere, quanto se peiorem agnoscit. neque valet exemplum inuitati ad nuptias: non enim hic occupat alienum locum, sed petit locum proprie suum, & sibi debitum propter Christum. occupare autem posset lo-

cum alienum si, quoniã in domo Dei mansiones multæ sunt, aliquã specialiter peteret. at petere admitti ad regnum, hoc non arrogantis est, sed obedientis, & ad ipsum inuitati.

Sed vtcunque siue neglectim, siue superbe, siue absque fide orauerimus, probemus quidem quod orauerimus: sed accusemus modum & ueniam superbiæ, infidelitatis, & negligentię petamus.

Orandum est pie, idest, vt quæ sunt ad salutẽ, aut etiam indifferentia petamus, sic tamen, vt iusta petamus, neque enim iustum est, vt petamus victoriã in causa non iusta, sed æquius est, vt cedamus ius habenti. petere tamen possumus, vt Deus nobis aduersarios nostros æquiores faciat, & misericordes magis quàm ad rigorem ius suum exequentes. sic etiam non est equum ut petamus ne Deus sinat nos à latronibus & tyrannis premi, (nam hoc esset petere, vt illis auferret potestatem, & arbitrium quod eis concessit) sed petenda est eorum conuersio: orandum pro ipsis vt conuertantur, & ita potestate vtantur, ad bonũ & non ad malum. possumus tamen eis orare corporalia mala, quibus abusus potestatis eorum impediatur, vt sic facilius conuertantur, sed periculum est ne carni nostræ indulgeamus. possumus item etiam petere ne nos tradat in manus eorum, sed multo melius est petere spiritum patientiæ, & fortitudinis, vt Deum nostrũ honoremus: nam maiora sunt spiritualia quæ nobis dantur quàm carnalia illa, quæ latronibus, & tyrannis tributa sunt, & sæpe in hoc tantum, vt per

lla detegatur quàm magna sit vis spiritus, & donorum Dei, quæ paruulis & abiectis concessa sunt. sic etiam & cum nos læserunt, non est orandum, vt percutiat eos, sed vt reducat ad pœnitentiam: alioqui nostri amantes, & non præceptorũ Dei essemus. tamen si victi amore nostri etiam iniusta petiuimus, petamus quidem veniam, quòd iniusta petierimus: sed simul laudemus Deum quod orauerimus, nam in hoc ipso honorauimus eum: quia vt superiorem agnouimus, dum orauimus: quatenus autem ipsum ministrum nostrarum concupiscentiarum, & timoris, & offensionis vltorem facere volebamus, peccauimus, & oratione emẽdandum est, qua veniam huius quoque rei postulemus.

Orandum est pro gloria Dei, vt manifestetur hominibus, & quàm multa nobis dederit præsertim in filio. orandum pro gloria Sanctorum, vt in eis illustretur nomen Iesu Christi, & omnes ad imitationem inuitemur. Orandum pro iustis, vt firmiter perseuerent, et ad perfectionem ascendant, vt luceant ad imitationem, & correptionem. orandum pro peccatoribus, & pro inimicis, & pro infidelibus, & pro cunctis ordinibus Matt. 5. prima Timot. 2. Quia vnus Deus, & vnus mediator, & nemo id nouit nisi Christiani qui & soli exaudiuntur à Deo: quare vehementer inflammandi sunt à prædicatoribus, vt omnium hominum solicitudinem gerant, vt orent pro omnibus, & præsertim pro ijs, à quibus læduntur, vt quorum specialius peccata norunt offensi. itaque do-

cendum

cendum vt in domibus instituatur familia ad memoriam faciendam omnium ordinum, vt orent pro omnibus. nam illá oratio, quæ generaliter tantum fit, quãquam & ipsa est facienda, tamen minus attentos facit quàm illa, qua singula genera, & particulares quosdam homines consideramus, pro quibus oremus: sic enim melius afficimur, & attentius, & deuotius oramus, aut contra disturbamur, cum inuiti pro inimicis, aut aliter odiosis oramus, qua in re agnoscimus peccatum nostrum: vt tunc magis oremus pro nobis ipsis, vt à nobis hoc vitium auferatur, deturq́; , vt in charitate ad omnes homines respiciamus, & quidem quod præceptum est nobis, vt pro inimicis etiam infidelibus oremus, quales erãt illi, de quibus ille Matt. 5. pr ma Timot. 2. Pro magno beneficio habendum est indicatur enim nobis indigere nos, vt etiam si inimici, & infideles simus, non contemnamur à Domino, & à seruis eius, sed [ut] nobis succurratur. & ideo id docemur ante facere, vt nobis eadem quoque & auctior mensura fiat. quis enim Deo dicat, Da mihi secundum merita mea? & non potius dicat, non secundum merita nostra, sed secundum magnam misericordiam tuam fac nobiscum Domine Deus noster.

Orandum ergo est, vt dentur nobis vera bona, & auferantur vera mala. & non est egrediendum à sensu eorum, quæ in oratione Dominica, quę dicitur Pater noster, complectuntur, & quoniam multæ praeces compositæ sunt, & quędam breues, quædam prolixæ [lixæ], et additæ sunt quædam promissiones dicentibus

& recitantibus eas, quasi Deus per eas incantetur; amputanda est talis opinio: nã Deus facit quod vult, & propter semet ipsum facit. & quãuis multa prædestinauerit orantibus, atque ideo, & propterea etiam oremus, vt obtineamus quæ orationibus danda prædestinata sunt; tamen declaratum est non dari nisi in fide orantibus, non fide verborum nostrorum, sed misericordiæ suæ, qui cuius vult miseretur. verbis ergo illarum precum nos instruimur, & monemur ad deuotionem, & afficimur erga Deum, item & humiliamur: & patimur dum ea recitamus: & ita sic aut aliter afficimur, ita vt idonei reddamur ad suscipienda Dei munera, quæ semper habet in promptu, si idoneos videat, in quos effundat. Videndę itaque sunt illæ preces à doctoribus, & prælatis, ne vana aut indigna Christianis precentur. Quidam Latina & nõ intellecta recitant, & tamen faciunt, quia bona eße putant, & scripta ad laudem Dei, & quę iustum sit recitari. qui docendi sunt bene eos agere, si humiliter id agant, vt qui laborem sumant in Dei honorem nescientes quid agant, sed tamen fructuosius facturos, si etiam intelligerent quæ demurmurant: vt simul etiam afficiantur ad amandum Deum: quem eo murmure honorant, vt non tamen putent Deum verbis incantari, sed honorari humilitate illa, et obedientia, & opinione, qua putant se bene facere, & bene etiam nonnulli faciunt: qui vt ocium deuitent, vtq; abstrahantur à commercio malorum, his lectionibus & orationibus occupantur: quando vel docti non sunt, vt

intelligere

intelligere valeant, vel docti defeßi sunt à studio, & à diligentius considerandis his, quę dicunt.

Dicendum est etiam de modo orandi, qui est, vt in spiritu, & veritate oretur, sicut & adorandum est, Ioan. 4. sed quoniam qui spiritu orant ardentiori nesciunt quid agant, vt ad Rom. 8. his regula dari nulla potest tantum admonendi ne alieno spiritu arripiantur, vt orent Deum ne ipsos decipi vnquam sinat, ac protestentur sese nolle aliud orare, aut à se vnquam oratum, quàm quod orat Christus, & ipsius ecclesia.

Quomodo autem ad spiritum assurgatur, quomodo spiritus excitetur, vt spiritu oretur, ostendendū est id fieri lectione, & meditatione, at meditatione non lectorum modo, sed etiam eorum, quæ tunc accidunt. certe in meditanda vita & paßione Christi magna est ad orandum occasio in spiritu. sic & in cæteris operibus, & beneficijs Dei meditandis, & ipsa oratione petendus spiritus orationis. nam vbi aliqualiter Deum agnoscimus, omnia rite fiunt. cauendum item est, ne dum spiritum quærimus, omittamus orationes vocales. nam sæpe ita eueniet, vt vtrasque amittamus, dum non nisi spiritum dare volumus: non agnoscentes, quòd etiam corporis obsequiū Deo debemus, vt cor hoc ipso habeamus ad Deum, quia etiam corporalia nostra illi consecramus. sicut enim ex corde exeunt corporalia mala, ita & corporalia bona, vt benedictiones, & preces, & gratiarum actiones, & genuflexiones: quibus rursus cor in Deum magis excitatur. nā ex abundantia cordis os loquitur. Mat. 12.

& 18. & plerũque oratio non acceptatur ex se ipsa, & ex modo, quo fit, sed ex eo quòd baptizati & recepti sumus in filios. Deftaque omnis oratio, & actio nostra placet Deo: modo nõ sit contra præcepta eius, præsertim cum ad orandum accedimus, vt honoremus Deum, quia cum per baptismum, et fidem simus filij Dei, placemus, ut filij, et nostra placent ut filiorũ, non vt in eis sordeamus; sed vt ex illis ad meliora ac perfectiora erigamur: sic enim nos nostraq; cõmendat Deus, vt exercitatos nos habeat ad suscipienda, quę ipse inspirat; sicut bonus præceptor conata paruulorum laudat, vt attentos habeat ad recipienda quæ docet.

Prima Cor. 14. dicitur, orabo spiritu, orabo et mente, intelligens spiritu orantem eum, qui verba proferat ab alijs non intellecta, mente autem verba, quæ etiam ab alijs intelligantur, vt spiritu quis oret solus, mente autem in Ecclesia, idest ubi sunt qui intelligãt, & de oratione, idest sermocinatione magis, quàm de prece intelligit, quamuis & ipsa precatio est sermocinatio, qua populus audiens instrui potest quid sit, quod nobis à Domino Deo nostro petendum sit, & qua ratione vel modo sit petendum.

Debemus attente orare, vt videamur amare, & vereri Deum, quem oramus, & non irridere; tamen si negligentia non affectetur, sed obrepat, ob ea: quæ nos, mentemq; nostram obturbant; non despondendus est animus, sed orandus Deus, vt patienter audiat, neque irascatur, sed boni consulat: & in primis

spiritum

spiritum largiatur qui cæteras curas exurat: & nobis vires ad orandum sufficiat, hoc nō multis verbis, sed gemitu cordis potest impetrari.

Quo statu corporis orandum sit, quia etiam multi id quærunt, dicendum est quocunque statu voluntas orandi veniat, orandum est, ne dum situm quærimus discedat affectus. itaque siue in lecto iaceas, siue alibi sedeas, aut stes, aut ambules; manibus extensis, aut iunctis ora vt positus es. si autem non immittitur talis voluntas, sed tu quæris, vt ores; tum age quod tibi magis videtur ad deuotionem excitandam facere, & ad honorandum Deum. sæpe enim Deum genuflexionibus, & eleuatione manuum honoramus, dum supplices nos illi exhibemus, sed rursus fiducia, & familiaritate quadam, vt amantem, & amicum familiarißimum, & domesticum honoramus. itaque seu timorem, seu charitatē, seu spem exercemus, ita nos componamus, vt vel timere, vel amare, vel sperare videamur, non loquimur de orationibus publicis, quæ vel à populo, vel à sacerdotibus in templo certis temporibus fiunt, in quibus seruandus est mos, nam cerimoniæ illæ valent apud Deum: & aliquid etiam nobis significant ad deuotionem augendam, aut facien dam, ac vide vt orante Mose Deus requireret, vt erectas haberet manus, ita vt cum ipse eas sustinere non posset, sustentarur ab Aarone, & Vr. Exod. 17.

Quando autem orandum sit, & quo loco, vtrū solis an cum aliis, dicendum omni loco, & omni tempore esse orandum: itaque & solis, & in comitatu,

Lucæ 18. prima Timot. 2.

Quia scilicet semper indigemus auxilio Dei, cum semper impugnemur à validißimis inimicis: quia itē Deus nobis semper & vbique propitius est, neq; defatigatur nobis audiendis: quia item dignatur nos audire: quia item vbique illi honorem & cultum, & in omni tempore debemus: quia item sumus pauci Christiani: quibus pro omnibus est orandum, vt supra dicebamus, sine intermißione orandum est, & oportet semper orare: & nunquam deficere: id fit tota vita, cum conamur esse quod debemus: cū esurimus, et sitimus iustitiam: cum ad omnes res, ad omnia negotia, animum ad Deum tollimus, vt in his adesse nobis velit ad sanctificationem nominis sui, & ad cætera quæ in oratione Dominica scimus contineri.

Et cum hæc ita se habeant, nō est faciendū vt aliqui faciunt, qui ob id templa defugiunt, & statas horas precandi, tanquam per id restringi videatur orationis amplitudo: sed accedendum est ad templa cum alijs: & seruandæ horæ, quas ecclesia ad orandū constituit: ne ecclesiam Dei contemnere videamur, quoniam etiam & domi vel solis, vel cum familia, statuendæ sunt quædam horæ: & loca, quibus quotidie aliquo tempore oremus, vt ibi conemur assurgere ad spiritum, & impetrare spiritum quo tota die, & omnibus in locis, & actionibus, corde & verbis, etiam oremus pro vt datur. nam qui dixit omnia loca, non exclusit templa, neque cætum hominum, neq; domus nostras, & partes earum, præsertim cum et in publi-

tis precibus conuenire debeamus, cũ vt adiuuemur, & excitemur mutuo; tum vt aliĳs exemplo ſimus, tũ etiam vt Deum honoremus, vt videant homines opera noſtra bona, & glorificent patrem noſtrum qui eſt in cælis. Matth. 5. nam & infideles hęc videntes ædificãtur, qui turbarentur, & nos eſſe abſque Deo putarent ſi viderent nulla publica cerimonia, & prece Deum à nobis honorari. templa ergo, et ſtatæ horę, & loci non ſunt ad reſtringendum opus perpetuę orationis, ſed magis ad accendendum: vt ſaltem aliquo tempore, & loco diligentius conemur excitare gratiã Dei in nobis, & accendere ſpiritum bonum, qui ſuo nos calore ad ſemper orandum inflammet, ac perſeuerantes in oratione perpetua faciat. Item vt filĳ, et familia doceantur, & conſueſcant orare pro ſe, atque aliĳs, & pro rebus particularibus, & generalibus, ne mala pro bonis petant: vtq; etiam dum petunt bona impetrent: vtq; petitio ipſa non ingrata ſit Deo, & hoc docendus eſt populus, vt parentes paruos filios ad hoc nutriant, vt à teneris agnoſcant Deum datorem omnium bonorum, & punitorem malorum: & ſibi commodatum putent quicquid vlli hominum commodatur: itaque putent orare pro ſeipſis cum etiam orãt pro inimicis; quandoquidem ſi illis vera contingent bona, non erunt amplius inimici, ſed amiciſſimi euadent. ſi autem aliter ſuerit, benedictio noſtra ad nos reuertetur: ſicut et maledictio reuertetur ſuper nos, ſi malediceremus indignis maledictione: aut his, quos Deus vult, per nos adiuuari.

Et quia nonnunquam oratio vertitur in peccatū, Psal.108.id est eorum, qui Deum & legem eius contemnunt, & qui obturant aures ad clamorem pauperum, Prou.1.21.& 28.Tob.4.quia item si Deus iudicare velit, vt potest etiam si tantum attendat peccata, quæ interdum orando cōmittimus, nō modo nos non audiendos, & repellendos, sed etiam flagellandos, itaque habenda est fides, & indulgentia, fides enim ad peccatum non imputatur, sed imputatur ad iustitiam, ad Rom.4. Itaque & oratio, quæ ex fide prouenerit, ad iustitiam, non ad peccatū reputabitur: similiter & indulgentia. nam remittitur remittentibus, itaque si remittimus alijs, ita vt etiam pro ipsis oremus, & Deus nobis dimittet: & audiēdos nos ducet, hocq; dominus Iesus nos docuit, Matt.6.& Marc.11. simul etiam opus est, vt animum habeamus non amplius offendendi, alioqui non dimitteret, habētibus voluntatē peccandi. non enim Dominus auctor, aut minister est peccati, ad Gal.2. sed is est, qui destruat, & auferat peccata: itaque veniam peccatorum non autem peccandi licentiam dat placatus, & si id interdum iratus permittat, quisquis ergo est in affectu peccandi, nullam fiduciam habere potest, quæ procedat à Domino, nisi ad hunc prauum affectum deponendum, oret sibi spiritum, & gratiam dari, similiter & qui alijs non parceret, nisi oret dari sibi spiritum bonum ad indulgendum inimicis suis, fiduciam habere in Deo non potest, & si maxime, caro et Satan contradicat & ostendat confidendum

fidendum

fidendum eße, etiam quòd alijs nolimus remittere: etiam quòd affectum peccandi nolimus omittere. sed fallunt nos nisi dicamus non esse desperandum quin Deus contra atque petamus, aut velimus facturus sit, vt prauos affectus dimittamus, & nos ipsos sibi totos committamus conuersos ad se.

Ergo dum oramus, quæ sunt in prece Dominica, scilicet vt remittantur nobis peccata. Item vt amputetur à nobis omnis peccandi voluntas; vtq; nobis ingeneretur voluntas semper benefaciendi; possumus fidenter orare, ac nos ipsos reprehendere, si in hoc fiduciam non habemus. & ad hoc facit illud, Ioan. 4. ò mulier si scires donũ Dei, & quis est, &c. tu petisses ab eo, vt scilicet petamus det quod iubet, & post hæc possumus, quæ volumus particularia petere.

Vt si quis ita oret. Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum in nobis, & in omnibus hominibus, etiam quòd nunc mutuo inimici peccatores, aut etiam infideles simus: & ita sanctificetur vt omnes homines agnoscant te esse patrẽ nostrum, sic vt nihilominus omnes uoces, & tanquam velis in omnibus nomen tuum sanctificari, omnibus te patrem offeras, qui neminem sis repulsurus, qui te sibi patrem velit accipere. Adueniat regnum tuum, quo tu, vt pater ea bonitate, & potestate, qua polles, potesq;, nos regas, & ita quidem regas, vt omnes homines intelligant bonum esse his, qui sunt in regno tuo, cæteris autem male, et te ad regnum omnes vo-

care, omnibusq; præcipere, vt regnum tuum quæ rant, quoniam tu sis paratus omnes paterne, atque amantissime regere.

Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, vt à nobis omnibus eo modo fiat voluntas tua, quo fit in cælis ab angelis, & sanctis tuis, mutua, & inoffensa charitate, & bonitate, cum certitudine gratiæ tuæ, ita vt qui nos vident, optent & ipsi in seipsis nomen tuum sanctificari, & regnum tuum venire, ita vt & in ipsis fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, atq; vt hoc ex corde velimus, ac petamus, vtque sustinere poßimus sanctitatem nominis tui, regimen tuum & voluntatem tuam, neque vltra quęramus gloriam nostram, aut regimen nostrum, aut voluntatem nostram.

Panem nostrum. Panem nostrum, id est dignum nobis filijs tuis, quotidianum, quo scilicet quotidie ali nos decet. Da nobis quamuis indignis, non moratus pretiũ eius, ne amplius nõ nostrũ panem quæramus.

Da, inquam hodie, dum cognominatur hodie, dum in transitu sumus, perueniendi ad gloriam regni tui, quæ post resurrectionem manifestabitur, vt omnes homines videant, quàm magnum bonum sit accipere de manu tua quotidie panẽ suum, & ita ipsi quoque optent nobiscum à te pasci, neque amplius cũpiãt alienum panem, sed suo, qui à te datur, quotidie contenti sint, eumq; in eo, quo debent pretio habeant, ac ne nos ab hac petitione peccata nostra velut indignos repellant, vt qui pęnam cũ debeamus, dona petimus.

Dimitte nobis debita nostra sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris, quibus saltem in hoc eis dimittimus, quod ob offensas in nos ab eis factas, aut quæ fiunt, & fieri possunt, nolumus eos impediri, quin in eis sicut in nobis sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panemq; suum quotidianum à te recipiant, sed vltro, quæ nobis à te bona petimus etiam & ipsis dari simul optamus, atque rogamus. Petimusque vt eis sicut & nobis benefacias, Rursus ne fragilitas, aut malitia nostra peccato cedens nos à tuis donis deturbet, petimus.

Ne nos inducas in tentationem, sed prorsus liberes nos à malo, quod nos facere potest cadere, & impedire ab his petitionibus faciendis, & ab ipsis impetrandis, & quod item facere potest, vt nomen tuū non dulcis patris, sed amari iudicis, sanctificare, & regnum tuum non illud paternum, quo indigemus, sed durum, atque asperum, quod meremur, in nos veniat, tuaq; voluntas non illa, quæ in cælo nunc fit, sed quæ tunc facta est, cum reprobi inde reiecti sunt, fiat in terra: et nos ab ea sicut à cælo illi reiecti sunt, & nos reijciamur, & panem nostrum scilicet nobis peccatoribus dignum, panem inquam lacrymarum & dolorum des nobis, ab hoc, inquam malo, & à maligno illo, qui illud procurat, libera nos, vt eo per te liberati reddamur digni, qui hanc precem feliciter faciamus: omniaq; bona impetremus nobis, & omnibus etiam quod maxime nunc nobis male velint.

stris remittimus, & à te panem nostrum quotidianum hodie habebimus, & voluntas tua in terra fiet sicut in cęlo fit. & veniet regnum tuum & sanctificabitur nomen tuum. agnoscemus te, quãuis in cælo sis, esse patrem nostrum, quãuis in terra exules habitemus.

Vt liberati à malo, & in tentationem non inducti, & remissione peccatorum accepta, habentes à te panem nostrum quotidianum & contenti simus neque amplius alienum appetamus, & nõ nostram, sed voluntatem tuam in terra faciamus, sicut à cælestibus in cælo fit, aduentusq; regni tui gaudeamus nostrumq; regnum non amplius quæramus, & sanctificationem tui nominis amplectamur, gloriamq; nominis nostri non quæramus, sed & te patrẽ nostrũ quãuis in cælis existentem, nos quãuis terrigeni cognoscamus.

Atque vt fiduciam in nobis excitemus, valet, si vtamur illis ipsis verbis, quę nobis Christus præscripsit: eaq; sæpius repetamus, tanquam nos ipsos excitare velimus ad nihil aliud volendum, aut petendũ quàm id sit, quod nobis Christus pręscripsit tanquam quem importuni esse velimus; & vel per importunitatem velimus obtinere, vt si sæpius, dicentes precẽ Dominicam, vel aliquam eius partem indicare velimus nobis, & Deo nos nihil aliud velle: atque ideo etiam quod corde, & tacitis votis aliud appetamus, tamen nobis vim facere, vt id velimus solum quod ea prece continetur, ac si expresse, ac diserte Deo dicamus

camus

camus, ne attendat vota, & desideria cordis, et carnis nostræ: quibus contraria, aut diuersa petimus his quæ in ea prece continentur, quandoquidem nos non nostri sumus, sed Christi, & id volumus, et velle debemus quod ipse vt velimus, ostenderit. atque ab hac ratione puto factum, vt homines tam sæpe orationē Dominicam recitent, ac si illam contra impetus carnis opponant, ac falli eos, qui ea sæpius vtuntur, vt Deum expugnēt ad implenda desideria carnis suæ. nam nobis nulla alia mens esse debet, quàm vt petamus ea, quæ Christus petere nos voluit, cum verba illa nos docuit.

Sic & in salutatione angelica, qua vtimur ad salutandam Dominam nostram, cum dicimus, ora pro nobis peccatoribus, &c. statim subijcimus orationē Dominicam, ac si Domina nostra rogasset nos quidnam velimus, vt pro nobis oret, & nos illi respondeamus, oret pro nobis ea, quę in prece Dominica proferuntur, vt ipsa nobiscū dicat Pater noster &c. Sic & cum ad memorias aliorum sanctorum precem Dominicā recitamus, nihil aliud sentimus, quàm vt & sancti ipsi gaudeant, quòd eam precem facimus, & eandem nobiscum dicant, impetrentq; nobis, vt nihil aliud velimus, nihilq; prorsus aliud habeamus, quàm id ipsum sit, quod ea prece contineatur.

Neque orandum est hoc tātum quoad durat deuotio, vt iaculatis tantum orationibus vtamur, & non habeamus certas horas, quibus exerceamur, et nos ipsos expugnemus ad perseuerandum in oratione

vt dixi-

vt diximus etiam supra. nam qui aliter facere voluerunt, defecerunt: nam iugis est deprecatio carnis, & Satanæ, quæ nos à Domino conetur auertere, & quę graue esse mentiatur Christi iugum, quod est suauissimum.

Pater noster, qui es in cælis; magna lis est inter nos de gloria, de regno. ac voluntate, quisque sibi gloriam arrogat, & regnum cupit, & voluntatem suam implere, & diues esse vult diuitijs etiam non suis, sed alienis. quare necesse est, vt magna contentio sit inter nos: & magnus animi, et corporis labor: tu ergo Pater noster, qui, cum sis in cœlis, vides, & potes omnia, nosq; inutiliter atque perniciose etiam laborare intelligis; qui pax nostra es, fac obsecramus, Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Fac des nobis hodie Panem nostrum quotidianum, sic non amplius gloriam, & nomen nostrum, aut regnum, aut voluntatem nostram, aut alienas diuitias cogitabimus: victi enim pulchritudine, & vtilitate gloriæ nominis & regni tui, & voluntatis tuæ, & panis nostri suauitate, & robore, quiescemus: optamus ergo sanctificetur &c.

Item quisque vult & parci sibi, & dissimulari errata sua, cum ipse aliorum non sic velit dissimulare. item quisque seipsum iustificat, suaq; probat, & seipsum firmum, & validissimum aduersus omnes tentationes arbitratur, & ita nullas reformidat. neque agnoscimus malum nostrum, & aduersarij potesta-

tem. Sed hæc nobis eueniunt, quia non pane nostro filiorum tuorum, sed pane Adæ pascimur, & hoc fit, quia tu nobis nondum sic Adæ peccatum, & nostra nobis remittis, nõdum nos sic eximis à potestate serpentis; vt non multis impugnemur ac illudamur tentationibus: quare infirmi absque robore nostro cum simus, non sentimus malum nostrum, et aduersarium inuisibilem calcaneo nostro insidiantem non agnoscimus. Atque ideo perituras, & alienas, & nobis indignas diuitias quærimus, & nos ipsos defendimus, & bonos nos esse arbitramur: da ergo Pater panem nostrũ nobis quotidianum etc. Pertinet enim hoc ad gloriam nominis tui patris, & regis, nam Patres & reges pascunt filios & subditos suos; & remittunt eis peccata eorum, siquidem & ipsi remittant, & sciant remittere debitoribus suis, & non inducunt eos in tentationem, sed liberant eos à malo. Aut si hoc ipsi non faciunt, quia homines sunt & passionibus reguntur, tu fac, qui vere bonus es, nullisq; passionibus vinceris, quin in omnes gratia vtaris, & beneuolentia tua, quâ vincis in bono malum, & ita sanctificabitur nomen tuum, et veniet regnum tuũ, & nos capti gloria, & sanctificatione nominis tui, et recti aduentu regni tui, & contenti voluntate tua, & pane tali roborati, nihil aliud volendum nobis iudicabimus, & nihil aliud prorsus volemus, quam sanctitatem nominis tui, & aduentum regni tui, & voluntatis tuæ impletionem in terra sicut à fratribus nostris in cælis impletur, et ita erimus absque pecca-

to,

to, & absque tentatione, & malo, & ita ad gloriam nominis tui pertinebimus.

Et hæc quidem petimus, cum attendimus quàm multis perpetuisq; malis implicemur, cũ relicta gloria nominis tui gloriam nostram quærimus, cum relicto regno tuo regnare nos volumus, cum præterita voluntate tua, nostram facere volumus, & cum relicto pane nostro, qui nobis à te datur, qui panis est vitæ, alienum et nobis interdictum, qui mortis est, panem quærimus. itaque dicemus Pater &c. sanctificetur, &c.

Sed ne hæc nobis priusquàm satisfaciamus debitis erga te nostris, neges, aut aliter des quàm optemus, nempe pro merito peccatorum nostrorum, & quia soluendo non sumus, & quia pro nobis tibi satisfecit filius tuus, petimus dimitti nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, quando scilicet nos eis dimittimus ex lege tua propter gloriam nominis tui cum recti sumus à te et propterea facimus voluntatem tuam, et cum pane nostro aliti sumus atque vt in sanctitate perseueremus, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, per quod hactenus factum est, vt non gloriam nominis tui, sed nostri quæreremus, et non panem nostrum, sed alienum comederemus, vnde et debitores facti sumus, et non aliis dimittentes, et tentationes non vitauimus, sed accersiuimus, et malum nostrum nos ipsi nobis procurauimus.

Nam si debita nostra nobis nõ dimiseris, aut ali-

ter dimiſeris, quàm nos per gratiam tuam dimittimus debitoribus noſtris. fieri poteſt vt contra nos ipſos ſanctificationem tui nominis, expetierimus, nam debita noſtra exigunt, vt ſanctificetur nomen dñi Patris & regnum tuum veniat cum virga ferrea ad nos vt vaſa figuli confringendum, & voluntas tua ſicut in cælo facta eſt ad deijciendos malos, fiat ad nos malos deijciendos, & panis noſter erit lacrymarũ, prout exigunt delicta noſtra, ſi remiſſa non fuerint, aut aliter remiſſa fuerint, quàm nos ex gratia tua remittimus.

Ex gratia enim et lege tua, ita libere dimittimus debitoribus noſtris, vt eis etiam beneuolentiam, & beneficia impendamus, eosq; vt nos ipſos diligamus, item contumaces corripimus, & expectamus, & pro eis oramus, multaq; erga eos bona facimus, vt ſic à prauitate diſcedant, neque impediantur ex eo, quod quicquam nobis debent, ſed à te petimus, vt eis non ſolum quæ nobis debent, ſed etiam quæ tibi debent, remittas, vt ſic poſſis benigne in eis, & pro eis nomen tuum ſanctificare.

DE ELEEMOSYNA.

CAP. XXII.

D*ICTVRIS de eleemosyna sermo deesse non potest: sed tamen quia sæpe de eo dicendum est, declarabitur, cur facienda sit scilicet, vt pro mereamur Deũ, Matt. 6. ad Heb. 13. neq; hic verẽdum est, ne simus mercenarij, sed magis laudandus Deus, qui mercedem proposuit, etiam rebus ipsis, quas ipso iure præstare debemus. ad hæc ipsam eius oblationem mercedis spernere nõ debemus, sed gratissime amplecti, vt quæ nobis à patre nostro offeratur. atque hic etiam agnoscenda nobis est nostra infirmitas: quandoquidẽ bonus Pater noster existimauit nobis opus fuisse mercedis promissione: simulq; hoc agnoscendum est Deum nobis prouidere voluisse, ac omnia fecisse, vt nobis in necessitate positis succurratur, ac videre salutem nostrã positam esse in ea ipsa re, quam etiam nostra sponte facturi fuerimus id suadente nobis humanitate, ac liberalitate. etsi ergo humanitas, & consideratio nostræ fragilitatis, & multa sint, quæ nos ad faciendam eleemosynam adhortentur, præsertim dum videmus quid nobiscum agi vellemus, si in aliqua necessitate versaremur, tamen non hæc, sed quid Dei, aut præceptum, aut cõsilium, aut promissio exigat præponendum est in eleemosyna facienda: vt scilicet propter Deum tantum, & non ob aliud elee-*

mosynam faciamus, quamuis maxime facturi eam fuerimus, etiam vt nihil Deus præcepisset, aut mandasset. Docendi ergo sunt homines, vt Deum attendant in opere suo, & is tantum causa finalis sit, ob quam eleemosyna fiat, ipsaq; merces non propter seipsam, sed propter ipsum Deum, qui ipsam promittit, ametur, atque optetur. conandum enim est, vt gratia Dei, & charitate, & donis Dei, & non uiribus, & voluntate nostra eleemosynam faciamus: atque ideo promissionem mercedis attendamus, vt auxilium quoddam: quo vtitur Deus ad adiuuandam charitatem, & beneficientiam, quam inspirat nobis, & virtutem ipsam, quam ipse ingenerat in animis nostris. Quare magno dolo diabolus nos auertit à consideratione diuinæ mercedis, vt nos superbos efficiat, & nos operari faciat ex viribus nostris, & non è spiritu Dei, idq; agit transfigurans se in angelum lucis, quia scilicet nonnulli sic Deum & proximum amant, sic proni ad eleemosynas sunt, vt nihil de mercede possint cogitare, & ita vult, vt incipientes perfectorum faciant opera, neque agnoscant mensuram suam. at Dominus mercedem præfert, vt nos sensim trahat in suum amorem, ibi nos beneficium accepisse cernimus, quòd datum sit nobis posse eleemosynam facere, & eleemosynam magnam accepisse videmus, quia datum sit nobis eleemosynā alijs facere, sed nihilominus tamen mercedem volumus, quoniam hæc est diuina liberalitas, vt duplicet gratiam, & quia ex ipsa mercede sicut Deo magis obli-

gamur,

gamur, ita etiā illi magis per eam seruire possumus, non enim illi satisfacere aliter possumus, quàm vt ei magis obligemur, satisfacimus enim illi de suo, non de nostro. at Satan laudat modestiam, & dicit arroganter nos facere si plura petamus, & decipere nos vult, quasi Deus talem modestiam laudet, & nolit nos etiam importunos esse ad petendum spiritum bonum, Lucæ 11.

Itaque & si maxime comparati essemus ad eleemosynam non faciendam propter præceptum Dei, sed tantum propter eius promissionem, atque ideo peccatum in nobis esset; (quia præceptum Dei nostri non tanti facimus, quanti debemus) tamen quia spē sequimur promissionis diuinæ, eleemosyna effectu non carebit, nam iussi sumus sperare in Domino, & credere promißionibus ipsius, & ita in hoc bene agimus credendo, & sequendo promißiones Dei. Item quia ipse verax est, & quia ad hoc ipsum inter alia promissiones fecit, vt si quidem nos præceptum non moueret, mouerent saltem promißiones; non erit talis eleemosyna absq; vtilitate. præterea cum inter promißiones sit, quòd eleemosyna extinguat peccatum, & quod iustitia nostra augeatur; per eleemosynam nostram fiet, vt extinguatur in nobis hoc peccatum, & augeatur in nobis iustitia, qua reprehendamus in nobis nostram inobedientiam, & aliquando post etiam propter præceptū eleemosynam faciemus, præsertim cum oratio eius pro nobis accesserit, qui eleemosynam acceperit, aut aliorum.

In casu autem quando eleemosyna præcepta non est, in ea facienda magis attendenda est diuina promißio, & volũtas, quàm eleemosynæ bonitas, vt fiat quod supra diximus, nempe vt Deũ pro fine habeamus ad eleemosynam faciendam, & ad omnia nostra propaganda, & peragenda.

At, dicet aliquis, si distribuero omnes meas facultates in pauperes, charitatem autem nõ habeam, nihil sum, prima Cor. 13. ad hoc sæpius responsum est, id intelligi vbi quis nollet charitatẽ habere, nam ad quærendam charitatẽ valent eleemosynæ, & preces, & fides, & omnia quibus peccata infirmantur. itaque ibidem Apostolus nos ad charitatem quærendã adhortatur, ac si in hoc aliquid simus facturi, ita quærimus regnum Dei, & iustitiam eius. si quis ergo ita eleemosynam faceret, vt vellet quidem salutem promissam, sed non charitatem, & iustitiam, media quæ sunt necessaria ad salutem, iam nollet effectum eleemosynę, quę est ablatio, & redemptio peccatorũ: sed vellet ipsa peccata, quæ sunt contraria effectibus eleemosynæ, vellet non peccatorum veniam, & fugam; sed peccandi, quam Deus non misit, sed detestatur licentiam.

Et tamen audeo dicere, etiã si quis ita insaniret, vt eleemosynam faceret ad redimẽdam peccandi licentiam, quòd potest eleemosyna illi prodesse non ad id quod petit, id enim ei noceret, sed ad id, quod non petit. nam Deus supra q̃ petimus, ac speremus, liberalis est nobiscum, ad Eph. 3 6. Et ita precibus eorũ,

quibus

quibus eleemosynā tribuimus; impetrari nobis potest iustitia, & mens sana, vt cōuertamur, & veros eleemosynæ fructus petamus, sicut enim Deus vult, vt bonis, & malis, gratis, & ingratis benefaciamus, non quia rectam mentem habeant, sed vt consequantur; ita nobis ipse quamuis malis benefaciet, vt boni euadamus., præsertim cum in eleemosyna faciēda nō merita hominū, sed ipsum Dei præceptum, aut ipsius promissionem sectamur. nam sicut si ego propter nomen Maumethi, aut alterius damnatorum, aut alicuius Dei alieni eleemosynam facerem etiam absque quòd Deos illos alienos amarem, imputaretur tamen mihi ad peccatum; ita ad aliquod meritum mihi imputabitur eleemosyna, quàm fecero pro nomine veri Dei, etiam antequam diligam ipsum Deū: præsertim cum de Deo nostro prolisse sperare possimus qui tam multa in nos suæ dilectionis signa ostendit.

Ad persuadendum ergo homines ad eleemosynas quàm plurimas faciēdas, multum valebit, si explicabuntur effectus eius, vt homines spem sequantur sanam: et præcipuè vrgendus est ille effectus, quòd eleemosyna redimuntur, & extinguuntur peccata, quòd iustitiam auget, quòd dat fiduciam coram Deo. Psal. 111. 2. Cor. 9. Daniel 4. & Tob. 4. item quòd qui accipiunt, gratias agunt Deo, & laudant Deum in fide nostra, & quòd orant pro nobis: & quòd cupiunt nobis. 2. Cor. 9. & quod non sinit nos perire, & quod est ad salutem, Matt. 10. & 25.

Atque ideo Dominus dixit, ne eleemosynæ ven-

dantur hominibus, ſed Deo, ne tanta merces pro re vaniſſima prodigatur. fiant ergo ad laudem Dei, Matt.6. aut ſi aliter facta ſint, nos ipſos accuſemus, veniam petamus, & eleemoſynas factas gaudeamus, ſed modum tantum improbemus, quo Deũ non ſumus ſequuti, ſed vanitatem: ita fieri poteſt, vt reuiuiſcant, certe oratio accipientium prodeſſe nobis poterit. ſed illud nobis præcipuũ, & ſummum eſſe debet, quòd ex his Deus laudatur, & proximi noſtri benedicunt, & bene agunt, ita ex corde puro eleemoſynam largiamur, vt non gloriã noſtram, ſed Dei, ſalutem autem & noſtram, & proximorum, & inſpirationis diuinæ cogitemus, vt ſcilicet inſpiratio Dei, quæ nos ad eleemoſynas vrget, nobis ne pereat, ſed habeat in nobis vitam æternam, cum ſpiritum non extinguimus, qua vita nobis ſit uiuendum in æternum.

Item admonet, vt de omni vel minima re eleemoſynam faciamus, quia non amittimus mercedem noſtram, Matt.10. ſic & omnibus conditionibus hominum, Matt.25. & bonis & malis, Matt.5. & Lucæ 6. quia ex omnibus fructus proueniunt nobis pro diuina bonitate. nam etiam ſi præcipue ad noſtros, & ad domeſticos fidei benigni eſſe debeamus, tamen vtile eſt ad omnes eſſe propẽſos, quia & qui nondum ſunt noſtri, & quid nondum ſunt fideles, & iuſti, tamen eſſe poßunt, cum tam bonus, ac potens artifex ſit Deus, qui poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abraæ, Matt.3. & cogitandum eſt, nos à Domino Deo

noſtro

nostro misericordiam & eleemosynam nobis petere non pro meritis nostris, nō quia boni simus, sed quia mali & indig[illegible] sumus misericordia, vt boni efficiamur. quare & nos similiter in hominibus non merita, sed necessitatem, & diuinum praeceptum, & promißionem sequamur, & vt eos ad resipiscendum animemus quādoquidē vident sibi propter Deum be nefieri, quem toties contempserunt.

Quia item homines personas respiciūt, vt causam habeant eleemosynę faciendę, declarandum est, neminem ab eleemosyna excludendum, & si gradus quidam sint, vt prius ad domesticos fidei: posteà ad eos, qui nos aliquo gradu cognationis, vel amicitiae, vel vitiniae, vel aliquo alio modo cōtingunt, & pręsertim eos, qui curae nostrae sunt cōmißi, & à quibus & ipsi aliquando benificia accepimus: & inter eos bonis magis quàm malis: & maiore neceßitate grauatis, quàm minori. postea etiam ad infideles, ad malos homines, ad inimicos, & ad eos, qui nos actu ipso persequuntur, benefici esse debemus: non eos, sed Christum, & praeceptum, & voluntatem eius spectantes, quia ipse vt diximus, talis est artifex, vt bonos facere eos poßit, sic & pauperibus, & diuitibus sanis, atque infirmis, seruis, ac liberis, carceratis, & in libertate versantibus, bonae famae, & infamibus hominibus. atque hic agēdae gratiae sunt Deo, agnoscendumq; est quàm nos velit esse amplos, atq; magnificos, qui velit nos esse benefactores, & beneficos in orbē vniuersum, vnde nobis magna sit cau-

ſa petendi ex ipſo, vt faciat nos diuites bonæ volun-
tatis, ac rerum, vt præſtemus nos filios dignos ſe pa
tre. Ad hoc item agnoſcendum, quàm nobis bene-
uelit, quàm nos cupiat ſeſe promereri, qui tam largã
feneſtram aperuit; cum nullum à noſtra beneficentia
velit exceptum, vt per omnes ſe promereri valea-
mus, quicquid alicui ſit accommodatum, ſibi eſſe com
modatum dicit: & ſeſe remuneratorem profite-
tur. illud item ad agnoſcendũ ipſum facere, ac nobis
omniũ neceſsitates oſtendere, & ſinere ſuos ſibiq;
chariſsimos pati quàm plurima; vt nos ad miſericor
diam prouocet: vnde ipſe occaſionem habeat facien-
di nobis ampliſsimam miſericordiã. ac etiam hoc eſt
valde attendendum, quòd dum præcipit, vt omnibus
benefiat nobis quoque proſpicit, & filijs noſtris: qui
& ipſi cum ſimus homines, poſſumus in multas ne-
ceſsitates incidere in quibus nobis velit ſubuentum
ab alijs, quibus et ipſis præcipit, vt nobis benefaciãt;
quia ipſe erit pro nobis remunerator.

Et hæc dicenda ſunt ad omnes; ſed præcipue ad
eos, qui præceptum, & conſilium eleemoſynæ facien
dæ nimis amplum & difficile cauſantur.

Hæc item dicantur aduerſus eos, qui dum gradus
primos eleemoſynæ expectant; alios homines repel-
lunt, quo fit, vt ne ſuis quidem eleemoſynas faciant;
dum excludunt longe ſitos, aut infideles, aut malos:
nam ſic incipiunt crudeles fieri, neque humanitatẽ,
neque diuinum præceptum, & inſpirationem atten-
dere. itaque non modo contriſtantes, ſed extinguen

te ſpi-

tes spiritum, & diuinas inspirationes rediguntur ad carnem: ita vt tantùm carnales sint, & nunquam fiant spirituales:

At non sufficimus hominibus, dicent aliqui, sed hoc dicant, quando iam dederunt primis, & nõdum prætextu aliorum præsentibus, & petẽtibus negant, cum tamen illis, quorum prætextu cæteris negant, nondum dederint, ac ne daturi quidem sint. præterea si nihil est quod detur, aut quia dederũt alijs, aut quia sibi essent angustiæ, si alijs darent, dent verba bona, & cum charitate dimittant petentes: vt omnibus dent, si non quod petitur, saltem iustitiam: vt non inanes dimittantur. Dominus enim dixit, vt omnibus demus non omnia, sed quod possumus, vt agnoscamur filij Dei: itaq; nonnullis correptionem dum damus, dum eos corripimus. quòd iniuste petant, aut quòd sint ociosi, aut mali, atque ideo indigni, multũ eleemosynæ facimus hoc ipso, quòd eos hoc nomine reprehendimus dure, aut sedate prout res exigit, semper quidem amice. non enim danda est pecunia ad maleficium properanti, aut perdituro, aut lusori, aut ei, qui propterea iustitiam est negaturus. nam huic expedit, vt paupertate, atq; inopia flagelletur à Domino, quo citius corripientes attẽdat, & resipiscat, quare adiuuandũ est cõmoda admonitione, atq; etiam correptione. magistratus quoque in hoc adeundus est, qui cogat huiusmodi laborare, & frugi esse. omnibus

Ostendendum est etiam quomodo facile fiant omnibus eleemosynæ, scilicet, vt quis à se ipso incipiat,

misereatur animæ suæ placens Deo, Ecc. 30. nam, qui sibi malus est, quomodo erit alteri bonus? Ecc. 14. Si placueris enim Deo, multum omnibus proderis, nam propter te Deus multis benefaciet, multos precibus, & alijs rebus iuuabis: vitaq; & moribus, ac verbis ad bene agendum hortaberis. quare si feceris, vt regnum Dei quærant, & iustitiam eius, tu illis amplißimas eleemosynas tribuisti; nam hæc oīa adijcientur eis, Matt. 6. fit item omnibus bene cum procuratur, vt in oppidis nostris sint diuersoria honesta, & in quibus non fiant iniusta, sint hospitalia, & receptus pauperum: eaq; cum diligentia curentur per homines pios, sint magistratus iusti, & boni. hoc dum curamus, omnibus benefacimus. nam in hospitijs publicis recipimus omniū generum homines: ita & in iudicijs, vbi si docentur, & admonentur sanctitatis multum ædificantur.

Facimus item omnibus eleemosynas cum prædicamus, aut prædicatores bonos conducimus, & multos, & frequentes volumus, eosq; apud alios laudamus; & nos illos audire frequentamus; sic enim & multi à paupertate per bonos mores liberantur, & multi ad misericordiam per hęc ipsa animantur, nosque ipsi efficimur per hæc misericordiores.

Vrgendus hic locus de hospitijs, & hospitalibus, & iudicijs, & præfecturarum vrbis, & societatis charitatis, in qua omnia complectuntur. nam alioqui tutę non erunt conscientiæ, neq; diuitum, neque pauperum. nam vbi non est talis procuratio negliguntur

eleemosynæ: quia manifesto apparet dari indignis, & mendicitatem pro artificio habentibus: itaque refrigescit charitas: aut certe multi ociosi, & mali nutriuntur ad malum. nõ enim malum, sed bonum est dare malis, dummodo non ad malum detur: & ad nutriendam inertiam, & latrocinium, & imposturas. neque enim satis est dare, sed dandum est cum iudicio, vt prosimus, & non vt noceamus. nam aliquis indiget pecunia, pane, veste, alij correptione, & flagris id quod nõ per nos ipsos, sed per ministros publicos agendum est. neque enim omnis pauper est beatus, sed pauper spiritu.

Sed & ostendatur qui sunt isti omnes, quibus danda est eleemosyna: & hic declarabitur locus Matt. 25. Esuriui, &c. ergo esurientibus dandum est manducare; id autem, & diuitibus, & pauperibus. nam & diuites sæpe esuriunt aliquid, quod non habet & tu habes: quo casu & pauperes eius rei dici possunt. sed & esurientes non dicuntur tantum, qui nunc esuriunt, sed qui non habent vnde vitam substentent. itaque & si cibum quis habeat ad aliquot dies, non habet ad totum annum, item & si habet panem atrum, non tamen habet multa, quæ sunt necessaria ad victum, vt est tempore generalis famis, id ipsum & in siti dicendum est propter illud quod dicit, Sitiui & dedistis mihi bibere, nam interdum caremus aqua, interdum aquam habemus: sed est noxia, interdum & si bona est, tamen ferre eam per totam vitam non poßumus: & nobis neceßarium est ali-

quid vini, interdum vinum habemus, sed non tam cõmodum. ille ergo qui nobis dat bonum potat Christum in nobis, sicut & nos Christum potamus, cum idẽ in alijs facimus. ac videbis qui morioni & alijs, quibus nihil opus est, dat non modo ad solatium, sed etiam ad ebrietatem, ita vt operam det, quo alius ebrius fiat, idq; cum facit, facit libentißime, qui pauperi, ne modicum quidem præbere vult, & seipsum excusat, ac omnia causatur: vt non det id ipsum, & ad crapulam sit: nam honesta conuiuia reprehendenda non sunt: sunt enim fructus diuitiarum; & sæpe in his concordia quædam in ciuitate, vel nutritur, vel restituitur: sed arguenda est profusio illiberalis; & ꝙ tam faciles in ea sint homines, vel pro gloria, vel ad vitandã auaritiæ infamiam, id est, vt vani vanos habeant laudatores, cum pauperibus tam sint iniqui; vt re ipsa testificentur sese non credere, aut credere ad se non pertinere, quæ Christus promittat his, qui pauperibus benefecerint, aut minetur eis, qui pauperes negligunt.

Hospes eram, & collegistis me, his verbis ostenditur quid eleemosynarũ hospitibus debeatur: id facimus si curamus, vt hospitia & paupꝫrum & diuitum sint in ciuitate, vt diuites suo pretio; pauperes autem gratis colligantur: & si quidem sunt honesta hospitia, tota ciuitas dici potest hospites Christi colligere. Ita diuites & pauperes hoc bonũ verbum audient à Domino Iesu. hospes, &c. ac propterea curandum est, vt dixi, vt talia sint in ciuitate, & vt

recte

recte administrentur. si autẽ secus habeat, quisque audiet malum illud verbũ. hospes eram, & non collegistis me. Itaque opus est, vt quisq; sibi prospiciat, & curet suscipere hospites Christi, susceptos autem foueat, & ex eis discat aliquid, aut eos aliquid doceat. verum quia periculosum est accipere domi ignotum, præsertim his, qui domos nõ habent amplas, redeundũ est ad idipsum, vt suadeatur, quòd detur opera, vt sint diuersoria, & hospitalia in ciuitate, & locis nostris, nam vagantur nonnulli sub Christi & sanctorum nomine, qui nõ nisi impostores sunt: quos oportet sic recipere, vt ad frugem bonam reducantur, ne sibi ipsis magno cum suo malo imponant, dum alijs faciunt imposturas.

Nudus eram & cooperuistis me. nudis ergo eleemosyna est facienda, et quidem pro re, & facultate, non enim militarem vestem clerico, aut virilem mulieri dares ad nuditatem tegendam: nisi cum aliud vestis genus non subest. & nuditas accipitur cum quis necessarijs ad frigus, & calorem propellendum vestibus caret, vt non dicas nudum tantum eum qui carnes detectas habet: Atque hic non dicit ornastis me, vt qui velit ostendere suorum modestiam, & qòud ipse in suis satis habet, si tegantur, vtq; ostẽdat quanti sit apud se hoc genus eleemosynæ. nam in nuditate dum pudorem fugimus magno beneficio affecti nobis videmus, si tecti simus, & id dicit sese recordaturum in die gloriæ suæ, quando nos obliuisci solemus, immo et recordari dolemus, talibus vnquam eguisse, ne ma

cula inuratur gloriæ nostræ, sed ipse quia diues est in misericordia, & cupit misereri hæc non erubescit, sed quærit, ut occasione qualecunq; habeat beneficio nos afficiēdi, ne id gratis, & absq; causa contulisse videatur. nos autem è contrario gratis accipere absque vllis nostris meritis affirmamus, gratius enim nobis est gratuitum munus accipere quàm præmium: ei autē gratius præmiū dare quàm donum. pugna enim hæc & contentio amantium est. nam ipse, vt qui diligit nos nostraque cuncta magni facit, cum per seipsa nihili sint; sed ipse ea nobilitat dignatione sua, & spiritu suo.

Infirmus, & visitastis me. infirmis ergo debetur eleemosyna uisitationis, seu pauperes, seu diuites sint. nam visitatio omnibus præberi potest, & magna est infirmis cōsolatio, & siquidem aut grauati sunt, aut non admittunt omnes, gratum est eis tamen audire venisse, aut venire aliquos ad se visitandum, etsi non admittantur.

Et in hoc quod dicit Visitastis me, & non dicit sanastis me; ostendit modestiam, & quàm omnia nostra magni faciat, & quod nō exigit à nobis nisi quod possumus. non enim est omnium impensas, & operā ad sanitatem præstare. illud etiam indicat infirmis necessariam esse visitationem; quia scilicet Deus eos infirmos faciat, vt visitentur & cogantur vel dicere, vel audire quæ Dei sunt. nam ad hoc et hospitalia infirmorum sunt facta, vt in his recipiantur etiam illi, qui aliàs male viuere consueuerunt, & qui nunquā

de Deo audire, aut dicere aliquid amabant, fugiebantq; prædicationes, aut etiam detestabantur, & persequebantur eos, qui prædicationibus delectabantur. tales infirmitate coguntur audire quæ nolebant: & supplices reddi. quare visitandi sunt magis quàm sanandi, vt sanetur in eis mens prius. nam videmus meretriculas adductas malo Gallico in hospitalia, statim vt conualuerunt, reuersas ad peccata sua. eas ergo magis opus erat visitare quàm sanare, vt non nisi prius animi recepta sanitate medelas efficaces corpori acciperent.

Sic & sancti viri cum in infirmitate detinentur, melius visitantur, quàm sanantur. nam & ipsi fiunt subinde sanctiores, quia virtus Christi in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. & multa bona dicunt, & bonum exemplum patientiæ, & gratiarum actionis visitantibus præbent, & accipiunt à visitãtibus, ipsaq; visitatio honorat sanctos, quòd per eam chari videntur eis, à quibus visitantur, & ita in eis honoratur Deus, præsertim cum sanctis obstrepitur: & merito suorum peccatorum infirmatos esse dicitur tunc magnus est fauor, & Deo multum gratus, cum visitantur, & chari ostenduntur ad refutandam prauorum calumniam.

Visitare autem debemus ita vt non simus onerosi consolatores, vt erant illi, qui visitarunt Iob. præsertim cum Christum in ipsis infirmis visitemus.

In carcere eram, & venistis ad me, hic dicenda sunt qualia diximus in infirmitate, vt scilicet carce-

ratis eleemosyna debeatur, & non dicit liberationis, sed visitationis forte ne quis laborem, aut impensam excusaret, qua in liberandis carceratis opus esset. Itē vt non erubescamus Sanctorum cathenas, sed vt in illis eos honoremus: & ab illis discamus omnem patientiam & mansuetudinem, & periculum etiam commune faciamus. Impijs autem in carcere detentis, quandoquidem incipiunt per id aut timere, aut resipiscere, magna fit eleemosyna, cum itur ad eos, & admonentur patientiæ & spei, & quòd à Domino diliguntur, qui non passus sit vltra in facinoribus progredi, sed manu iniecta retinuerit eos ad gloriam suam, & ipsorum salutem, & proximorum, quibus exemplo vel pœnæ, vel carceris sint profuturi.

At, dicet aliquis, turpe & periculosum est talibus bene facere, vtique tale erat in oculis hominū si quis pasceret, vestiret, aut visitaret aliquem Christianum: sed in oculis Dei præclarißimum, & tutissimum, contrarium vero turpißimum ac perniciosissimum. itaque tunc maxime, cum infame est aut periculosum; tunc, inquàm, maximè est faciēdum, quo gratiores Deo nostro simus præsertim cum tantopere semper ingrati fuerimus: atque vt hoc quidem faciamus assuefacere nos ipsos debemus, ad visitationē infirmorum amicorum, aut pauperum, & eorum, in quibus nullum est periculum. vt ita Christi spiritum nutriamus, quo adulto maiora aggrediamur, nā dum minora omittimus, & nos ad necessaria & magna reseruamus; fit, vt in nobis spiritus Dei extinguat,

atque

atque ita & magna & necessaria non omittamus modo, sed fugiamus: quasi excusati simus futuri apud Deum, aut quasi nobis satis sit esse excusatos, & nō opus sit meritis abundare. Quid enim dabitur excusato nunquid aliquid lucri fecit? nunquid habemus iustitiæ merita, vt stare possimus ad tribunal Dei, et non sit opus nobis multa misericordia, vt à magna misericordia frequentiq; facienda excusati esse velimus? indigni sumus multa misericordia: quare multam facere debemus misericordiam, vt eadem nobis fiat mensura: & non in iudicium incidamus, quo nemo iustificabitur apud Deum. cum enim Christus sit iustitia nostra 1. Cor. 1. ipse sese nobis indicat quonam modo maxime ipsum promereamur. id ergo nobis sequendum est, & non excusationes meditandæ, quæ etiam si valerent, nihil tamen lucri afferrent.

Ergo siue diuites, seu pauperes, sint illi qui in carcere sunt, aut in infirmitate, seu amici, seu inimici sunt, seu fideles, seu infideles, seu mali, seu boni, veniendū est ad eos pro Christi nomine: seu quia pro iustitia persecutionē patiuntur, aut pro iustitia laborantes infirmati sunt, seu pro peccatis suis digna patiuntur; vt scilicet in illis confirmemus bonam voluntatem, & adoremus opus Dei; in istis autem vt cohortemur eos ad agnoscenda peccata sua, & ad reuertendum ad Deum.

Et siquidem hæc per nos ipsos facere nō possumus, conandum nobis est, vt per eorum amicos, aut alios ad id ipsum idoneos faciamus certe in procurandis

prædicatoribus bonis, & sacerdotibus bonis, & in laudandis, & honorandis, animandisq; viris bonis vicinis, aut ciuitatis nostræ multa faciemus: nã quod illi faciẽt, nos fecisse dici poterimus, qui eos ad faciendum animauimus.

Et quidem oportuit dicere de visitandis infirmis, & carceratis, vt visitentur, ac si Christus in eis visitetur. nam aliqui destituti sunt, vt Lazarus, de quo Luc. 16. & nemo illi dabat. aliqui sic visitantur, vt non Christus in eis, sed caro & filij seculi huius considerentur: quibus interdum melius esset ne visitarẽt, & ne visitarentur. ergo docendum est, vt sic ad visitandum accedatur, vt decet eos qui Christi sunt, & qui Christum volunt promereri, & honorare verbũ eius: vt qui ostendunt sese credere aliquando visuros Iesum in conspectu totius orbis dicentem. infirmus eram &c. in carcere eram &c.

Atque ita antequàm ad hoc genus eleemosynæ faciendum accedatur, orandus Deus, vt faciat nos facere vt decet suos, & hoc ipsum non in hoc modo, sed in omni genere eleemosynarum faciendum est. nam magnum beneficium nobis datum est, cum datur vt eleemosynã facere valeamus. quod si aliter fecimus, neque attendimus quid ageremus, faciendum est, vt accusemus negligentiam, aut malitiam nostram: & Deum oremus, vt boni consulat, & rursus nos ad recte id agendum instiget, vt subinde semper melius faciamus. Neque huic rei negotia nostra præuertamus, cum non sit hac re negotium nostrum vllum vtilius,

sed

sed oremus Deum nostrum aperiat sensum nobis ad videndum. nam si videremus, aut crederemus, audituros nos vocē illam Iesu Christi in die iudicij, nullum negocium huic negocio præferremus, ac simul etiam negocia nostra fœlicius, ac lætius obiremus, ac perpetuo gratias Deo ageremus quod nos ad tā vtilia, ad commercium tam frugiferum excitasset.

Et cum pauperibus eleemosyna facienda sit: ea in primis cōmedentur, qua pauperum validorum cura habetur, vt cogantur laborare: & detur eis modus & locus, vbi de labore suo victum quærant, aut ex toto, aut ex parte. infirmis autē aliter prouideatur: cunctis tamen addatur eleemosyna spiritualis, vt patienter ferant, & è manu Dei suscipiant, quòd pauperes & infirmi sunt, quia per eorum erumnas Deus fratrum suorum diuitum viscera misericordiæ commouet, vt saluos eos faciat: vtq; omnes admoneat humanę conditionis & fragilitatis: atque ob id placet diuo Chrisostomo extare pauperes ad portas templi, vt detumescant intrantes diuites admoniti, quòd & ipsi tales esse potuerunt, & adhuc possunt: & quidem pauperes qui per ciuitatem vagantur, & mendicant, multum prosunt, nam extorquent eleemosynas: & ita per eos Deus exprimit opera bona à nobis. ideo Dominus dixit. pauperes semper habebitis, quia scilicet expedit nobis, ut sint pauperes inter nos: quorum aspectu, verbisq; ad misericordiam prouocemur, & ad humilitatem, & ad agnitionem nostri, et periculi, in quo sumus, tamen vbi horum nimia est

multitudo indicat ciuitatis, vel ignauiam, vel occupationem: aut quia ita necesse est in multitudine superborum, & auarorum. periculosa quoque est mendicantium multitudo, ne ciuitatem inficiant morbis, et ne mali mores inter eos lateant; nam sæpe & latrones, & exectores crumenarum, & sicarij latent inter illos, & lenones, & multa omnino mala.

Magna quoque illa est eleemosyna, et multū Deo chara, cum educuntur homines ab artificijs, & quæstibus malis, vt cum à latrocinio, à meretricatu, & alijs malis operibus homines auferuntur, nam plerunque tales nullum artificium habēt, quo uitam ducāt. his ergo opus est eleemosynis nō modo vt viuant, sed & vt artificium discant, quo se sustentent, et interim doceantur bona Dei verba: & spem in illo ponere: & seipsos accusare præteritæ vitæ.

Et quidem cum prostibula multa sint, vt interim de mulieribus loquar, vix vllum effugium est ad resipiscentiam: vbi enim vel seducta, vel abducta est mulier, aut per seipsam cœpit male facere, excluditur à cognatis omnibus: omniaq; illi intentant mortem: itaque volens, nolens in malo, & meretricatu perseuerat: & toleratur quidem meretricium in ciuitate ne peius fiat; sed tamen si in ciuitate desit locus, ad quem confugiant, quæ pœnitentiam volunt agere, non video quomodo ciuitati ad peccatū nō imputetur quod meretricium tolerat. nam cum destitutæ sint à suis: & cum ab illis metuant, & cum sæpe etiam artificium non norint, quo se sustentent, cum etiam ab

honestis matronis vitentur, ita vt si etiam velint laborare, non inueniant quibus laborēt, quodammodo cogi, dici possunt à ciuitate in meretricio perseuerare, atque ideo iam non tolerari, & permitti meretriciũ, sed fieri, atque cogi à ciuitate dicetur. Itaque vbi talis locus non est, persuadendum est vt instituatur, vbi autem est, vt colatur, vtq; omnes animentur ad eleemosynas ob id faciendas; hoc enim magnum, & præclarum est, in quo dupliciter iuuantur animi, & corpora: ac præterquã quod ita est, quisque etiam sibi ipsi & familiæ suæ perspici sic potest putare. nam cũ propter humanam fragilitatem, & multorum audaciam etiam dites, et nobiles mulieres seducuntur, aut præcipites sese dant, tum etiam ob bella, & pestilentias, & fames, & ob mores corruptos, & in ipsis pompis nimis profusos, facile fit vt quas nunquam putaremus. abductas in id mali videamus. Vnusquisque igitur dum talibus consulit ad seipsum reflectens animum cogitet quid sibi, et suis fieri vellet, et quàm placeret, vt extarent omnibus in ciuitatibus loca talia quibus suæ reciperentur ad pœnitentiam.

Sed opponunt sese aliqui: dicentes, si sic fiat, omnes ad pœnitentiam reuersuras: atque ideo penitus è ciuitate meretriciũ decessurum. sed hæc oppositio optanda est, non enim malum est esse ciuitatem absque meretricio, præsertim si per conuersionem & pœnitentiam auferatur, nã et multæ amplæ ciuitates in oriente sic viuere memorantur, & meretricium auget magis quàm auferat impudicitiam, nam iuuentus in illo

corrupta nihil non audet: fit enim impudens, & pro-cax. itaque melius ciuitas regitur prędicatoribus fre-quentibus & institutione filiorũ, quàm concessu pro-stibulorum, quæ iam finem nullum habent, omnesq; vias, & vicos occuparunt: & cum tot sint, viuunt in rosa, cum interim honestę ac sanctæ mulieres vix du cant vitam: quia scilicet carnales homines carnali-bus large suppeditant, quod spiritualibus debebatur, honestasq; vel remittunt honestis pascendis viris, uel tentant vt corrumpant. cum ergo in ciuitate pecca-re volentibus mulieribus omnia large sufficiantur, pœnitentiam autem volentibus agere omnia sint ar-ctiora, vt ne locus quidem suppetat, & panis ater, quo refugiant; nonne hoc indicat ciuitates corruptas esse meretricatu? & non refrenatam iuuentutem, sed factam audaciorem? in agenda autem pœnitentia nullus debet esse metus, cum ea sit donum Dei, cumq; ex vnius conuersione alij compungantur, ac etiam sa nentur: quia in gaudio, quod fit in cælis pro vno pec catore pęnitentiam agente, multa quoque Deus nobis largitur. metuendum ergo est ab his, quæ pœnitentiã non agunt: nam iuuentutem corrumpunt, pręsertim cum diu in scelere permanserunt: nec modo lasciuam faciunt iuuentutem, sed rixantem, & furacem, & optantem parentum mortem. & omnia, quæ à pecca tis, & ab ira Dei expectari possunt, metuenda sunt ex his, quæ perstant in peccatis. ab his autem, quæ pœ nitentiam agunt, non est nobis metuendum, sed bene sperandum, præsertim vbi eis auxilium ferimus.

Alij

Alij dicunt, si talis in ciuitate locus aperiatur, fore vt fragiles mulieres per hoc fiant multo fragiliores, videntes enim sibi paratum ad resipiscentiam locum, facile in peccatum trahentur. cogitantes nihil eis nociturum, si peccauerint: quãdoquidem habeãt, quo se recipiant? sed hæc oppositio tunc valeret, cum illæ, quæ pœnitentiam agunt, ad conuiuia & honores & non ad agendam pœnitentiam, & ad duriter viuendum ex suis laboribus vocarentur. tales enim loci non essent ad pœnitentiam & resipiscentiam apti, si in ocio nutrirentur quæ refugiunt. sed loci sint oportet, in quibus & doceantur, & vrgeantur ad labores: & quod non sufficiunt per seipsas, eleemosynis suppleatur: ita vt doctæ & strenuæ vel nubant, vel honestis matronis in seruitium dentur, vel sic viuant, vt exemplo sint alijs ad bene agendum, et alias regant, & instruant in labore, doceanturq; ieiunare, & orare, suaq; peccata agnoscere & confiteri, vt conuersionis, & salutis locus, & non tantum securitatis esse videatur. si quis autem sicut ad peccandum blanditijs ac promißis, aut etiam vi, aut minis abductæ sunt; similiter ad resipiscẽdum velit eas adducere, hoc cuiusque proprium consilium fuerit pro vt eum diuina inspiratio coget, non pro regula id docendum est nisi eos, qui ipsi in his ita corrũpendis peccauerunt, vt sicut peccato seruierunt, seruiant iustitiæ Dei, ad Rom. 6. Absit modo peccatum quod neq; in toto quidem mundo conuertendo licet patrare.

Alij dicunt ciuitatẽ non suffecturam talibus: nã

ad multas eleemosynas si hoc addatur, fieri pauperē ciuitatem, sed contra dicit Apostolus augeri fruges per eleemosynas: quia iustitia per eas augeť. Ps. 111. 2. Cor. 9. non enim diuitiæ nobis è terra sunt, aut ex industria, & labore nostro, sed à diuina benedictione, quæ pauperem facit & ditat, sicut in Iacob & Ioseph est videre: propter quos Deus benedixit domibus eorum cum quibus degebant. Gen. 30. 39.

Sed dicunt etiam vicinorum oppidorum mulieres & longe etiam positorum ad nos venient: ita multitudine prægrauabimur. at hoc erat optandum, ciuitatem nostram, scilicet, esse refugium omnium ad pœnitentiam: nam sic in nobis Deus habitabit, sic ab omnibus malis illęsi conseruabimur quasi sacerdotes orbis terrarum: & omniū benefactores. nam Deus constituisse in nobis refugium aliorum videbitur.

Præterea Deus bonus & misericors. exemplū operis nostri in alias ciuitates producet; quia hoc eius ingenium est; & natura, vt bonum suum, vndecunque incipiat, ad proximos quosque deriuet.

Alij dicunt, si hoc bonū esset, multæ iam ciuitates id haberēt. sed hæc ratio nihil vrget. quid enim est popularius, quàm Spirituisancto resistere? nō ergo, quòd Deus id non semper inspirauerit, sed est, quia caro resistit spiritui: quare quibuscunque apertus est sensus, hoc magis id boni aggredi debent, quo vident ab alijs negligi: nam quo à pluribus miseræ illæ mulierculæ sunt relictæ; hoc magis à nobis recipiendæ sunt: vt tandem aliquis apertus sit ad resipiscentiam locus

etiam

etiam talibus, quæ vndiq; ab omnibus destituuntur.

Alij dicunt non oportere locum talẽ instituere. nã quas vere pœnitet eæ mortem non timebunt. ad suos reuertentur; & mori & occidi volent potius, quàm in peccato consistere; aut mendicabunt victum, & publicam pœnitentiam agent. sed hos oportet meminisse, debere nos firmiores ferre infirmiores, & subleuare, quo adhuc perueniant, ad Rom. 15. ad Gal. 6. Itaque cum paucæ illæ sint, quæ statim in tantã pœnitentiam veniant, vt præ ea nihil vereantur, succurrendum est multitudini, præsertim in sexu tam fragili, & multa digno misericordia.

Alij dicunt sinendas esse eas, ac vrgendas magis quàm suscipiendas: quia peccatum ipsum est pœnæ peccati: & Deus, præter multa quæ à suis lenonibus & alijs patiuntur, inuenit mo rbum Gallicum, quo eas humiliet: ita vt sibi & cæteris exemplo sint, vt non peccent.

Sed hæc cogitatio crudelium hominũ est, aut imprudentium. Deus enim affligi eas permittit, et morbis infici sinit, vt facilius ad pœnitentiam adducãtur, vtq; iuuentus ipsa quoque timeat, ne à talibus inficiatur. adiuuandũ est ergo consiliũ Dei, & ipsæ ad resipiscentiam prouocandæ hoc etiam metu, & non adducendæ sunt ad desperationem, & ad desiderium inficiendi quàm plurimos, quandoquidem ipsæ infectæ sint: & quisque sibi & suis, vt dictum est, cogitet, ac alijs subleuandis putet prospectum suis. sic enim oratus Deus dabit, ne nostræ in id incidãt, unde alias co-

namur eruere.

At castigantur à Domino, & nos quoq; debemus Deum in hoc adiuuare, dicet aliquis. sed aduerte, quia Deus castigans, atque flagellans vult interdum impediri, & non adiuuari ad hoc. Itaque irascitur eis, qui populo suo, quando ipse eum flagellat, insultant, & non eius miserentur, vt Hier. 12. Sanctificat interficientem, & tamen contra Moab irascitur, quia deriserat Israelem. Hier. 38. & 50. Contra Babylonem, & Nabuchdonosor, nobis ergo, quibus per Christum misericordia, non vltio cōmissa est, melius est, vt omnibus succurramus. quàm vt quēquam relinquamus flagello Dei.

Alij, quāuis concedant adiuuādas esse eas, quę volunt resipiscere, quæ si non adiuuarentur perstarent in malo; negant adiuuandas illas, quæ aut ægritudine incurabili, aut senectute detentæ amplius lasciuire non possunt: vt ipsarum angustia cæteras deterreat à flagitio. hisq; satis esse dicunt, si ad mēdicitatem admittantur, & si admoneantur vitæ suę: quo eas non ob malum corporale, sed ob delicta pœniteat, vtq; patienter ferant: & sicut ad peccandum exemplo alijs fuerūt, ita nunc in pœna ferēda exemplo esse velint, ac etiam lætentur ad alias à delictis deterrendas.

Hæc quidem admonitionis bona, magnaq; est eleemosyna, modo fiat: sed ei quoq; addēdum est aliquid, vt charitas, & non auaritia videatur, vtq; sese tamen destitutas non videant, sed intelligāt bonū Deū sic eas affligere pro suis ipsarum peccatis, vt tamen

etiam

etiam nutriat, vt scire poßint minora se quàm meruerint pati ac velle Deum eas non ante ex hoc mundo exire, quàm aliquo vsque sint repurgatæ & aliquandiu alijs exemplo fuerint. non ergo addenda afflictio est afflictis, sed consolandæ cum verbis, tum rebus ne maiore tristitia absorbeantur, si quæ vero derelicta sic fuerit, vt situ & pedore, & fame perierit, agnoscamus quidem diuinum iudicium: [redacted] ad alias à flagitio deterrendas vtamur: non celantes id, sed palàm facientes illis, quibus hoc opus est exemplo, & simul nos ipsos destitutionis, et crudelitatis accusemus, animemusq; nos ipsos atque alios ad remedium ne tale quid amplius vlli eueniat.

Et hæc omnia, quę dicta sunt de mulieribus, trahenda sunt ad viros, qui furto, ludis, & ludicris, & ineptijs, & lenocinijs, et alijs malis artibus vitam ducentes, conuerti volunt in iuuentute, & sanitate, aut senectute & infirmitate.

Similia de infantibus, qui exponuntur, vt nō perire sinantur, sed excipiantur & educentur, nam alioqui multa homicidia fient. laudandaq; ciuitas, quæ hospitalia habet ad hoc: illaq; hospitalia adiuuanda & fouenda sunt. Similiter & hospitalia infirmorum, sed in hoc multo magis adiuuanda, vt adsit idoneus sacerdos, qui confeßiones eorum audiat, qui tristes consoletur, & fructus pœnitentiæ doceat, & spem in Deo, vt etiam cum vel per sanitatem infirmi, vel per ætatem expositi exeunt ex hospitali, sibi ipsis & alijs prosint vitæ & morum probitate: & ante acta vita

suæ & parentum peccata compensent iustis, & sanctis moribus perceptis ex hospitalis ministris, id quod multum necesse est in puellis, quę ibi ab infantia educantur, puerisq; non minus.

Simul quoque in prædicationibus admonendi sunt omnes peccatores et peccatrices, esse iudicium Dei, vt in paupertatem, & ærumnas incidant ob peccata sua, vt in Adam factum videmus: atque ita fieri iudicio Dei, vt terra non proferat eis fructus suos, sed spinas & tribulos generet; scilicet venire in mentem diuitum, & aliorum, vt eis eleemosynas negent; aut auare, & cum exprobratione subministrent, neque semper adesse prædicatores, et viros bonos, qui cohortentur homines ad eleemosynas etiam talibus faciendas. admoneantur item, ne cōfidant in artibus suis malis; quibus interdum etiam ipsi facinorosi diuites euadūt: quia id ad damnationem eorum est, & ad molestandos alios peccatores, & in paupertate adducendos, et ad exercendos pios. nam postea ipsi; aut certe filij eorum predæ erunt alijs æque aut magis etiam sceleratis: quāquam hoc parum est ad æternam damnationem, ad quam rapiuntur nisi pœnitentiam agant; & male parta, si possunt; restituant.

Est & aliud genus pauperum, quòd erubescit paupertatem fateri, & pauper videri. horum quoque necessitas odoranda est, & succurrendum etiam verecundiæ talium: nam sæpe dum erubescunt, aut filias, aut vxores, aut sorores, impudicis permittūt; aut aliter sibi male consulunt:

Sed

Sed dicet aliquis indigni sunt, quibus eleemosyna cõcedatur. quandoquidem erubescunt paupertatem, quam Christus comendauit, & nõ accipiunt flagellum Dei ea, qua debet alacritate; ac magis verecundiæ suæ timent, quàm saluti suæ, & suorũ omnium.

Indigni quidem sunt, si ipsi considerarentur; sed habenda ratio est suorum, præsertim puellarum, vt fecit diuus Nicolaus. habenda item est ratio fragilitatis humanæ, & quod id quoq; nobis, nostrisque euenire potest. habenda etiam ratio præcepti Dei, qui succursum vult omnibus, & hoc interdum his magis, quia maiore egent consolatione, quia propius etiam diuinum auxilium vidẽt, & ita facilius assurgunt ad diuinam bonitatem agnoscendam: vnde paulo post fiet; vt non amplius paupertatem erubescant, neque parati sint amplius peccare, priusquã paupertatem fateantur. debemus igitur onera ipsorũ quoq; portare, ad Gal. 6. idq; ad hoc maxime, vt locus sit nobis ad eos docendos & dedocendos. Prædicatorum ergo fuerit cohortari viros bonos, et omnes ad eos etiam, qui erubescunt vestigandos & adiuuandos; ita vt non prodantur antequam ipsi docti, quod debeant prodi velint, vt ratio habita videatur cuiusque verecundiæ.

Simul etiam in prædicationibus doceatur, non esse erubescendam paupertatem, sed peccatum esse erubescendum, & perniciosum & fugiendum: ita vt etiam si ob scelus paupertas obuenerit, haberi debeat pro correptione paterna, & ita suscipi, & alijs ma-

nifestari, cum peccatum non est occultum, vt cæteri à scelere sibi temperent.

Si autem ob benefacta paupertas fuerit; quia pij sæpe persecutionem patiuntur, non est erubescenda, sed magis prædicanda: quia gaudendum, & exaltandum est cum propter iustitiā patimur persecutionē, Matt. 5. ne iniuriam facere videamur verbo Christi, aut putare nobiscum male actum, quia pauperes facti fuerimus ob benefacta: aut aliorum auxilia & eleemosynas recusare latendo, propter quos Deus nos pauperes fecit, vt eos ad misericordiam prouocaret, nobisque ius esset illos in eterna tabernacula recipiendi, Lucæ 16. ob misericordiam, quā ipsi nobis fecissent.

Sunt & conuentus pauperum religiosorum tam virorum, quàm mulierum, qui vt honorarent verbum Christi dicentis, beati pauperes spiritu, voluntariam paupertatem professi sunt sub vno, aut alio sancto duce, ijq; eleemosinas petunt ob Dei amorem, quem scilicet in paupertate secuti sunt, itaque cum eleemosynas petunt clamant, Date panem fratribus Sancti Francisci ob amorem Dei, & ita alij alterius Diui fratres aut sorores clamant ad hostia ciuium. his ergo cum fiunt eleemosynæ, honoratur Sanctus, sub quo militant, & honoratur Deus, propter quem militant, & verbum Christi, ob quod paupertatem professi sunt, & nutritur id genus hominum, quod est Reipublicæ Christianæ valde vtile. nam sacris intenti sunt, & prædicationibus, & audiendis confessionibus

fessionibus vacant, & qui non tam idonei sunt orationibus, die, ac nocte intenti sunt pro nobis, & pro tota Ecclesia: & publicus quidam honor Dei, & cultus apparet, apertis eorum templis in Dei laudẽ, & in canendis, aut recitandis in choro psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus. Quare illis eleemosyna ipso iure debetur. nam quærunt regnum Dei & iustitiam eius. vnde Deus Leuitis decimas præbuit, vt cum populo suo labores gentium, & bona omnia concesserit, quia legem suam quærebant, aut vt quærerent legem suam, Psal. 105. in fi. Leuitis voluit vt à populo sancto decimæ darentur, quia essent ex his doctores populi. Num. 18.

Sed iam pridem hoc genus religiosorum conuentuum cœpit male audire, ac vocari mendicantes validi: & cogendi ad labores, vt victum labore manuum suarum sibi quærant, & non extorqueant eleemosynas, quibus sint indigni: concedunt tamen prædicatoribus, vt ex Euangelio viuant si recte ad veritatem Euangelij incesserint.

Quid ergo est? voces istæ & Dei sunt & Satanæ: sicut sæpe in multis euenit. sicut enim Deus tempore legis cerimonias, quas ipse instituerat, accusabat non propter ipsas, sed propter peccatum eorum, qui indigni illas exercebant; ita nunc, quoniam nonnulli à primo sacrarum literarum studio refrixerant, & prædicationibus non valde religiosis vtebantur, confessionesq; absque diligẽtia & charitate audiebant. psalmosque, hymnosq;, & sacra nulla attentione

proferebāt, et celebrabāt, Deus reprehēdit eos dicēs, quid mihi vestra pauptas, quā professi estis, si ventri vestro, & nō mihi, & animarū saluti seruire uultis? operamini manibus vestris, nolo enim eleemosynis meorum pascere tam inertes: itaque hoc Dei verbo admonentur, vt ad studia digna tali professione accingantur, si velint bene audire & dignis eleemosynis pasci, non temporalibus modo, sed & spiritualibus, interiori scilicet affectu mentis. quod centuplū excedit eorum, quæ reliquerūt pro regno Dei, id autē si nolent facere etsi maxime corporalibus eleemosynis abundent, quæ quia vtiles dantibus magis sunt quàm accipientibus, Deus vt fiant, permittit, quia tamen spirituali refectione carent, fit vt acidi fiant & remissi, posteaq; impatiētes, & superbi vt exeāt & seipsos mundo prodant, quòd tanquam sal infatuatum sint eiecti: moresq; eorum ac loquelæ fetēt,
nulli *faciuntq; vt nō nihil boni male audiant, dum ex his etiam aliorū fit coniectura: & ita adiuuantur conuicia, & commenta Satanæ apud eos, qui sunt à parte ipsius.*

Satan ergo et ipse Dei plerunq; his vocibus vtitur, non vt reformentur conuentus religiosorum virorum & mulierum, id quod vult Deus, sed vt extirpentur, ne remaneant seminaria religionis, ne aliquando reformentur. vrget ergo labore manuum, ne spacium illis supersit ad studendum sacris literis, ac rebus, quæ ad publicum Dei cultum spectant, idque agit ea tecna, quasi velit omnes sacris studere: cum

concedit prædicātibus, vt ex Euangelio viuant, quasi possint facile prędicare. qui antequam docti essent, coacti sunt in sudore suo victum quærere: aut quasi quilibet, qui literis sacris dat operam, idoneus sit ad prædicandū. multi ergo & multo tempore in sacris literis exercentur, antequam ex his vnus, aut alter euadat, qui vel mediocriter tractare Dei verbū valeat, similiter, & in confessionibus audiendis, in quibus tractatur particulariter, & ad singulos de verbo & præceptis Dei, non omnes idonei sunt quicunque sacras literas didicerunt.

Quare cum totum corpus vnius religionis dat aliquos prædicatores, & sacerdotes ad confessiones audiendas, totū corpus illud & prædicare, & confessiones audire potest dici: sicut cum Christus dicebat. signa eorum, qui in me credunt hæc sequentur linguis loquētur nouis, Mar. vltimo. sed nunquid omnes linguis loquuntur? &c. 1. Cor. 12. ad Eph. 4. Non id quidem, sed quia alteri datur hoc, alteri illud, fit, vt Ecclesia Christi faciat omnia.

Ad hæc religiosi conuentus etiam eorum, qui neque prædicant, neq; audiunt confessiones, satis prædicant ipso habitu & professione & vita: præterea orant, Psalmos cantant, & alia faciunt ad honorē Dei nostri, vt his merito victus debeatur multo magis, quàm his, qui hęc non faciunt, & manibus suis laborant. labor enim in Christianis non ad pęnam, & necessitatem, sed ad exercitiū datur. adempta enim nobis est maledictio Adæ, qui in sudore vultus sui

vesci debebat pane suo: hic labor nobis, vt mors & cæteræ erumnę, quæ Adam peccatum cõsequutæ sunt, nobis ad exercitium, non ad pœnam seruatæ sunt. itaq; si aliud nobis exercitium imponatur, compensabitur. sicut enim nobilibus labor corporis nõ imponitur, quia mente ad rem publicam adiuuandam, & in medio consulendum occupati sunt; sic multo magis religiosi conuentus cum corporalibus & spiritualibus laboribus vacent, pro spiritu, & pro debito Ecclesiæ alendi è publico Ecclesiæ, præsertim cũ, ne populum grauent, modestissimo vtantur victu, ac vestitu, ita vt gratis seruire videantur. nam si quis impensas conuentuum obseruantium stricte examinet, videt minus decem aureis in singulo quoque expendi, vt toto anno & victum & vestitum habeãt. conferantur hæc modo ad decimas, quas Deus dari vult Leuitis tantum, quia sibi in tabernaculo seruierunt, Nu. 18. & videbimus quàm auare subministramus ministris Dei nostri, & quàm illis inuideamus tam paruum lucrum, & quòd voces ministrorum Satanæ sunt, & nõ Dei, cũ hæc illis negantur: quandoquidem Deus tam multa dabat Leuitis pro tam Leui ministerio, quod multo magis populus debet agnoscere, cui cordi sit honor Dei sui, atque ideo à religiosis viris non laborem manuum, sed spiritus exiget ad laudandum Deum nostrum, eumq; nobis prædicandum, Satan autem id metuens manuum laborem comendat, vt abducat à cura spiritualium.

Sed dicunt, si ad id quod expenditur in victu &

vestitu

vestitu ipsorũ addantur templorum ornamenta, argentum, vestes preciosißimæ, quibus in sacris vtuntur, apparebit magnam esse impensam, & pauperibus multo melius distribuendam, vt sic Christi membra nutriantur, & vestiantur magis quam parietes & lapides mortui exornentur. Hæc quidem etiam Sancti, sed interdum vel zelo absq; scientia, vt fecerunt Apostoli in effusione vnguenti, aut dum in his nimiam diligentiam, etiam cum pauperum contemptu adhibitam reprehendunt, cum scilicet tempore alicuius calamitatis neglectis pauperibus datur opera ornamentis non necessarijs.

Sed hæc eadem instat Satan cum membris suis, non quod ad eum de pauperibus pertineat, sed quia fur est & latro, vt Iudas, qui & ipse scandalizatus in vnguenti effusione, pauperes prætẽdebat, ne appareret quod doluisset de amissa præda, Matth. 26. Ioan. 12.

Ad quid ergo impensas religiosorum, & ornamenta templorum auferre volumus? Ad pauperes ne afferendos? an ad nutriendos & vestiendos? auferre pauperes, neque his impensis, neque vllis alijs possumus. nam prædixit Dominus, pauperes semper habebitis, id enim est Dei consilium, vt discamus omni tempore benefacere, sicut Deut. 14. De decimis dicebat voluisse, vt de omnibus rebus soluerentur, quo disceremus omni tempore Deum colere, ne si de frugibus tantum darentur decimæ, id temporis tantum, quo fruges colliguntur Dei recordaremur, sic

auferendos

T

voluit pauperes semper nos habere, vt semper habeamus, qui nos ad benefaciendum stimulent, & in hoc Deus parauit etiam mendicantium conuentus, qui capti sunt à sanctissimis viris cum magna reformatione totius populi Christiani.

Sed dicunt ad alendos pauperes, ergo cum iniuria Dei alere volumus pauperes? nisi ergo religiosis viris, & mulieribus victum & vestitum negemus, nisi templa sacerdotesq; & sacra suis ornamentis priuemus, non suppetit nobis, vnde pauperibus largiamur? Deus ergo nobiscum auare egit, vt nō vtrique rei sufficere possimus? etiam cum fames publica est, & cum omnes doctores concedunt posse tunc ornamenta & vestes templorum vendi, & pauperibus distribui, timide id agendum est, & non nisi ad extremum. Omnibus alijs consumptis remedijs, & quanquam sacerdotes & religiosi id primi offerrent, populus tamen eos prohibere deberet, ne Deo talis iniuria inureretur. vana vero quædam ornamenta, & quæ Deo non, aut vix placere creduntur, etiam alio tempore auferri possunt, & in vsum meliorem conuerti, ne vanitas largientium, & non pietas probata videatur.

Si amplissime religiosorum facultates hodie pauperibus omnes distribuerentur, non propterea tamen pauperibus careremus, neque pauperibus consuleremus: ablatis enim his bonis & religiosis viris cessarent prædicationes, confeßiones, sacra, fieretq; populus multo quam nunc sit religionis negligens, atque

ideo

ideo multo minus pauperibus distribueret: deessentq́; eleemosynæ, quas monaci ipsi pauperibus faciunt: nam iratus Deus id permitteret, fieretq́, tota regio pauperrima sicut Deus minatur, Agei 1. his qui do mos suos ędificabant neglecto templo, & eleemosynis, ac decimis, quæ debebantur Leuitis, Malac. 1.

Rursus dicunt, non est dandum talibus, quia male viuũt, quia à religione declinauerũt, ita facti sunt iudices morũ aliorum: an Deus mandabat dari decimas Leuitis tunc tãtum, cum boni erãt eis mores? si hoc expectamus, nunquam eleemosynæ fient: nam nemo omnibus satisfaciet, & sæpe leuißimum verbum totius religionis corpus infamabit. quamobrem Dominus voluit, vt bonis, & malis, gratis, & ingratis benefaciamus.

Præterea quod est tam desperatum collegium, vt in eo non sit aliquis bonus? & sicut Deus pro decem iustis parsurus erat illis ciuitatibus, Gen. 18. & propter vnum toti familiæ benedicit. Gen. 30. & 39. cur non & nos idem faciamus?

Ad hęc ętiam, quod mali eßent mores eorum, tamen in honorem Sancti, & ob Dei amorem, & non propter ipsos eis largimur: et tũc magis ob Dei amorem, & honorem, cum ipsi non habent in se causam, ob quam eis benefiat.

Quid? quod cum tanta sit benignitas Dei, vt repentinam pænitentiam sit admissurus, vt illud Lucæ 18. Deus propitius esto mihi peccatori, nonne possumus existimare multos inter eos, aut eam pæniten

tiam agere, aut acturos, ac facturos inter eos, qui possint alios recipere in tabernacula æterna? certe sancti; sub quorũ nomine degunt honorati hac eleemosyna suscipere nos poßũt in tabernaculis æternis.

Postremo vt omnia perdita sint in eis, non est eis eleemosyna deneganda; sed amanter admonendi, & cum superioribus eorũ agendũ, ut recte gubernẽtur.

At male prædicant publice, & pessime in priuatis confeßionibus audiendis sese gerunt, quia non nouerunt legem Dei. Faciamus ergo, vt habeant bonos libros vnde instruantur, nam hæc magna est ciuitatum negligentia, vt sinat suos præceptores libris carere, aut malos libros habere.

Habent, dicet aliquis, libros bonos, sed refugiunt illos, quia non sunt ad quæstum, libri enim illi docent fidem habendam in Deum, & non in operibus, ipsi autem prædicatores docent fiduciam habendã in operibus quibusdam comenticijs ex quibus ipsi seducunt homines & expilant.

Sed obsecro te, an non docent fidendum esse in Deum cum dicunt, Facite eleemosynas, talibus enim hostijs promeretur Deus? orate, nam & Deus exaudiet, confitemini peccata, pœnitentiã agite, absolutionem petite, à Christi ministris, nam eam refer[illegible]tis? & alia talia, an non est hoc fiduciam in Deum docere cum prædicantur opera, quæ Deus mandauit, et propter quæ mercedem, & certũ euentum promisit?

At commendant constitutiones humanas, de his suo loco dictum est, non enim humanæ sunt, sed diuinæ, ipse

næ, ipse enim Deus dixit, vt faciamus quæ dicunt, & se in ipsis audiamus.

Docent ieiunia, certos dies, certas preces, certas vestes, de his quoque diximus supra suo loco, non enim sumus sub lege, vt non nisi scripta in sacris literis facere debeamus, sed sub gratia, vt putemus nobis multa inspirari à Domino: nam sub fide viuimus tãquam hæc Deo placeant, quæ videmus scripturæ sacræ, & bonis moribus non contradicere; sed habere suam rationem. cur ea placere Deo non iniuria cogitemus, nam stultas obseruationes, & absurdas opiniones, prædicatores paulocordatiores reprehendunt: & docent populum quid cuiusque rei sit pondus, hoc ergo sunt admonendi vt probata prædicent; & non admouendi ob id ipsum, quod quandoq; quædam non satis firma prædicarint, & largior danda est illis eleemosyna, quo bonos libros emant, & cætera habeant cõmoda, quæ studijs necessaria sunt.

Collegia ergo hæc religiosorum virorum; & mulierum non impugnanda, aut tollenda, sed fouenda sunt, & adiuuanda, vt ex his nobis optimi prodeant præceptores; agendumq; cum superioribus, vt faciant multos literis operam dare, vtq; non nisi probatos ad prædicationes, & confeßiones admittant, adiuuantur autem religiones si filij nostri bene domi nostræ fuerint educati; nam eos mores ad collegia illa afferentes multum proderunt; sed de his suo loco dictum est, in tit. de Educatione liberorum.

Et in his maledicentijs & conuicijs, quibus reli-

giones proſcinduntur, attendenda eſt mens Dei, quæ eſt vt repurgentur, & reformentur, vtq; etiam ten tentur, & examinentur, videantq; in ſeipſis, an patientiam dignam habeant vocatione ſua.

Mentē autem Satanæ, quæ eſt ſub prætextu boni ad extirpandas religiones, reprobare & refutare debemus, eaq; proculcare & occaſione vti ad magis curādas et adiuuādas religiones, ne qui peccatores omnes alios peccatores ſuauiſſime, et multo cum dāno morū, & rerum noſtrarū toleramus, ſolos religioſos nō ferendos putemus, eosq; excludēdos magisquàm ſanandos arbitremur, quaſi deſperatum ſit de ipſorū ſalute, aut tanquam nobis id ſit cōmiſſum, & non expectare cum eis Dominum debeamus, qui venturus eſt rationem ponere cum ſeruis ſuis, Matt. 24.

Præſertim cum multi in homines religioſos, & conuentus ipſos obloquantur tantum, quia reprehenſiones eorū non ſubſtinent, dolentq; reprehendi ſuos mores, & publicis prædicatorum concionibus, et vita religioſa. miniſtri ergo Satanæ, quia vitam mutare non volunt, quam à religioſis viris, & vita, & verbis reprehendi vident, conuicijs agunt, vt non modo illos deterreant à cenſura: ſed vt excludant etiam è vita: ne ſi vnquam veritas appareat, ipſi calumniatores appareant quales ſint, & religioni ſit ſuus honos, qui eos lędit & conculcat.

Ergo magna fuerit eleemoſyna ſtare pro veritate, & religionibus fauere: easq; & verbis, & eleemoſynis iuuare: hoc enim modo vniuerſæ Reipublicæ

Christianę auxilium fertur, & multæ pauperibus eleemosynæ fiunt, nam & precibus religiosorum virorum, & fęminarum, & prædicationibus ipsis, quibus quam sæpissime de eleemosynis largiendis agitur, fit populus ad misericordiam pronus, & pauperibus multo quàm ante benignior.

Sed inter pauperes, & inter hæc genera pauperum, cui magis dandum? an cui quisque volet, qui eleemosynam facit? an aliter? vt quisque vult quidē nisi aut de publico largiendum sit, aut de alieno, ad certos pauperes destinato, cæterum et suam quisque voluntatem ad Dei voluntatem accommodet. itaque dixit Apostolus, ad Gal. 6. dum tēpus habemus, operemur bonum, ad omnes maxime ad domesticos fidei, & 1. Tim. 5. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior. sic tamen, vt his verbis non abutamur, id quod fit sæpe, dū nostris multa damus, quamuis non tam pauperibus: reliquos autem leui stipe honorantes. curare ergo debemus in discernendis pauperibus, qui sint, in quibus magis honoretur Deus, & non quibus nos magis afficiamur: sed tamē & Deus his affectibus nobiscum vtitur ad eliciendas à nobis eleemosynas, qui si coniunctos aut amicos pauperes non haberemus, nemini, aut quam paucissimis largituri fueramus, hisq; non nisi minima: sed affectibus coacti plura damus, sensimq; assuescimus ad vocem Dei nostri, vt pecuniam negligamus. eamque perdamus propter fratres, & thesaurum ponamus

in prĕceptis altißimi, vt prosit nobis magis quàm aurum, vt dicit Ecc.29.

Solet etiam quĕri, quibus ex rebus facienda sit eleemosyna, & respondetur, de proprijs, non autem de alienis, nisi in casu necessitatis, & nisi ex voluntate dñi expressa, vel præsumpta, & quod liceret contra voluntatē pro vtilitate ipsius, de cuius rebus sit eleemosyna, vt fecit Abigail vxor Nabal, quæ inconsulto uiro quem sciebat male sibi consulere, dedit Dauidi munera, & liberauit ipsum à morte. 1. Reg.25. Ita licebit ad iram Dei auertendam facere eleemosynam, vt scilicet pro malo viro immisericordi, crudeli, & aborrēti ab eleemosynis orent, qui eleemosynas accipiunt.

Similiter tutoribus, & curatoribus de rebus pupillorum, & adolescentum licebit honestas eleemosynas facere, sic & regibus, & præsidibus licet imponere subditis certum genus eleemosynarū, ad iram Dei auertendam, & ad placandum Deum, & ad populum suum docendum eleemosynas facere, præsertim in pauperes regni sui, & prĕfecturarū suarum.

Seruis quoque, & filijs famulis, & vxoribus licebit honestas eleemosynas facere, de bonis dominorum, patrum, & maritorum, vt non illis modo, sed sibi ipsis quĕrant ex alieno amicos, qui se recipiant in tabernacula æterna, Lucæ 16. Vtq; cum ipsi in Dominos euaserint, sit qui similiter sibi succurrat, & eleemosynas è suo ipsorum faciat, hec ergo licere possunt nisi modus forte excedatur adeo, vt voluntas

Domini

Domini recta censeri debeat abesse, nam in his, qui in seculo degunt, debent eleemosinæ esse moderatæ, ne sibi ipsis angustiam faciant, dum aliis cõmodum curant, 2. Cor. 9. darent enim tunc ex alieno scilicet eo, quod debent prius familiæ suæ.

Neque est exigua eleemosyna, dum de alieno datur etiam cum voluntate dominorum si promptitudo tua; & animi alacritas et suauitas fuerit, id enim ita duplicat eleemosynam; vt sæpe distributor plus apud Deum laudetur quàm ille ipse, de cuius bonis fit distributio, nisi & ipse pari alacritate ad distribuendum præbuerit.

De rapina ergo non est eleemosyna facienda, sed Domino restituendum est, quod raptum est: veruntamen in casu necessitatis, licet, scilicet cum aliquis est in necessitate, & tu nihil aliud habes quod ei largiaris, quàm quod habes ex rapina: nam tunc omnia comunia sunt necessitatem patienti.

Similiter & alii possunt de bonis raptorum quanquam talia sint, facere eleemosynas vt Deus raptoribus ipsis placatus, reuocet eos ad pœnitentiam.

Similiter & ipsi raptores poterunt eleemosynas facere de rapina, vt pro se ipsis quo pœnitentiã agant & inducantur ad restituendum; idq; debent approbare illi quibus ablatum est, nam sicut debẽt ipsi orare pro raptoribus: & eis benefacere, ita debent consentire si de rapina fiant pro illis eleemosynæ, quo pro raptorum cõmersione oretur, quẽadmodum enim probarent expensum in eos qui sibi restitutionem rapta-

rum rerum curarent, ita non minus in his expensum debent probare: quandoquidem hęc est via regia, & magis apta ad recuperandum, quod sublatum est: & multo optabilior quàm si ui aliqua tentaretur.

Non ergo probatur eleemosyna eius, qui de rapina parum quid pauperibus tribuit, vt sibi reliquum liceat iure habere; sed eius, qui sic tribuit de rapina, vt non minus obligatum se intelligat ad restituendũ: itaque dat, nõ vt non restituat, sed vt auferatur à se mens mala, qua tenax factus est alieni. Ostendendus est ergo error illis; qui eleemosynis redimere sibi ius volunt rapinæ, sed tamen non deterrendi ab eleemosyna, sed animãdi potius: quia fieri Dei benignitate potest & prece eorum, quibus facta sit eleemosyna, vt conuertantur à prauitate, & à rapina ad restituendum, & ad eleemosynas dignas faciendas, vt admonentur, ad Eph. 4.

Admonendi item sunt homines, ne cum eleemosynas faciunt, magnum quid se fecisse arbitrentur. quid enim magnum facimus, qui non nisi de alieno facere eleemosynas possumus, quãuis ditißimi in mundo simus? nam alienum est omne quod damus, cum quia indigna sunt nobis hæc, qui sumus filij Dei, & in exilio degimus; tum quia quicquid id est, quod habemus, non nostrum est, sed mutuo accepimus à Domino Deo nostro, qui misericorditer id nobis largitus est nullo nostro merito; tum etiam quia illi, qui accipiunt, referunt Christi personam, qui Dominus est omnium, quę habemus, & quæ largiri possumus, & præter id, quia

fœneramur

fœneramur Domino, cũ pauperibus damus: quare nobis magis quàm illis, quibus largimur, benefacimus, cum largimur. adde, quòd Deus, vt id ipsis facere valeamus, permittit suos multis egere: at quid dico suos? ipsemet voluit cunctis egere, & esse in omnibus: vt ab omnibus, & in omnibus ipse beneficia cuncta recipiat, quo sese omnibus obliget, qui cunctos habet obnoxios, quique cum iudex sit omnium, cogatur non iudicare, sed misereri. quare multis nominibus debemus Deo nostro, cum nobis tribuit animum ad pingues eleemosynas faciendas. nam signum est maiorem quoque misericordiam nobis præparasse: quando sic nostri sit misertus, vt fecerit nos misericordes: et ideo misericordiæ creditores.

Danda ergo eleemosyna de suo proprio, vt est dictum, & de eo quod superest. de superfluo ergo dicũt, necesse est fiat eleemosyna: alioqui ad peccatum imputabitur. atque hic litigatur, de superfluo ne ad necessitatem naturæ, an conditionis & commodi. sed hæc possunt scrupulosius tractari. prædicatorum autẽ est non solum docere quomodo peccatum vitetur in non faciendo eleemosynam & quonam modo eleemosyna non fiat nisi cum necesse est quasi iactura, semper timenda sit in eleemosyna abundantiore, sed oportet doceant, quomodo maxime peccata eleemosynis redimantur, & quomodo his promereamur Deum. non enim sufficit nobis facere tantum quod debemus: cum nemo per se iustificetur apud Deum: sed opus est nobis misericordia. ne Deus intret nobiscum in iudicio:

itaque magnã oportet faciamus eleemosynam, & de re non debita; vt scilicet & Deus nobis magnam faciat misericordiam etiam de re quæ nobis nõ debetur. Deus quidem & ipse pro sua cõditione, quia iudex est; indiget vsu magnæ seueritatis in nos, itaque nisi nos seuere iudicet, non seruat decorem cõditionis suæ. Sed nobis opus est, vt Deus incõmodet sibi ipsi, & de hac sibi necessaria in nos seueritate non modo detrahat; sed decedat id vt nobiscum iure facere posit; opus est, vt nos etiam detrahamus de commodis nostris etiam necessarijs ad conditionem nostram: & pauperibus largiamur. ita ipse quoque decedet de sua seueritate necessaria suæ conditioni.

Interdum etiam Deus ob misericordiam quam facit. male audit. ita vt etiam filij petant vltionem, & frater maior offendatur, vt Luc. 15. & 17. Oportet ergo et nos faciamus interdum misericordiam talem, vt male audiamus, & à nostris, & ab alijs; à nostris cum dicunt: nos magis aliorum quàm sui meminisse; cum vel inimicis aut alijs longe dissitis benefacimus, aut cum æs alienum contrahimus, vt eleemosynam faciamus: & restringimus expensas conditionis nostræ. ita vt sordidi videamur dum quæ ad cultum expendi solent, pauperibus elargimur, dum etiam nos hypocritas appellant & vanos; & non pro Deo facere, hæc & his etiam plura subire nos oportet misericordiam facientes: vt Deus quoque non vereatur male audire dum nobis facit misericordiam suam magnam & singularem.

Ad hæc admonendi sunt homines plus ad misericordiam & Dei dignationem respiciẽdum esse, quàm ad nostram necessitatem, atque hic adducendum est factum eius viduæ, quæ obtulit duo minuta æra, totũ scilicet victum suum: ad quam oblationem vt indicaret quanti apud Deum esset: Dominus Iesus conuocauit omnes discipulos suos, testatus multo plus illam obtulisse quàm omnes diuites, qui ex abundantia sua obtulissent. Marc. 12. Ex his ergo quæ nobis necessaria sunt dum facimus eleemosynam, obligamus quodammodo Deum, vt & ipse nobis ex his, quę sibi necessaria sunt. misericordiam faciat. necessaria autem ei est seueritas & iusta coërtio ne iniustus & personarum acceptor videatur, ab his ergo, vt sibi detrahat: & placide nobiscum agat nobis necesse est.

Pro magno ergo beneficio agnoscendum est quod Deus dignatur accipere à nobis idq́; nobis ad meritũ imputare. cum tamen non demus nisi quod ex ipso accepimus: itaque necessitas nostra nobis consideranda tunc est cum peccatum esset si eam pro eleemosynis faciendis negligeremus. cum autem ea neglecta pluris eleemosynam nostram faciat Deus: quid est quod tantopere necessitati nostræ consulendum ducamus; vt propter eam eleemosynas restringamus? tamen consulẽdum est necessitati, vt 2. Cor. 9. sed tamẽ quia Deo viuenti seruimus, qui dicit primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius & hęc omnia adijcientur vobis, non est periculum vt fame pereamus, vbi necessitatibus aliorum pro Dei honore subuenimus:

neque culpabile est obijcere sese morti, vt aliũ à morte liberemus.

Quàm bonum Dominum habemus qui nobis has aperuit vias, vt habeamus ea quæ nobis Christus lucratus est. nam propter Christum hæc nobis valent, in quem credidimus: nam cæterorum eleemosynæ per se nihil valent, nisi forte accipientium Christianorũ oratio illis impetret fidem, & Christum recipiant, eiq; sese credant, ac committant.

Dandum item est, & de animo, præsertim cum his non minuatur, sed augeatur: damus autem de animo cum iniurias remittimus, cum bonum consilium damus, cũ docemus digna nobis: nobis, inquàm, Christianis. qua in re, & temporis & verborum, & ingenij, eleemosynas facimus. nam cogitare ad hæc ipsa, et tempus impendere ad ediscenda, quæ alijs in tempore promamus, non exigua est eleemosyna: præsertim in tanta ignoratione verborum Dei, & in tanta verecundia etiam tam impudẽti, vt turpe sit homini Christiano verba facere de Christo, & de rebus quę decẽt Christianos: auersi enim sumus, vt bonum nostrum non videamus. quare magna fuerit eleemosyna, si quis neque pudori, neque labori, neque periculo, aut ignominiæ pepercerit, dum seculum à tanto flagitio asserit, dum homines à peccatis deterret, ad virtutes hortatur, non illas paganas quæ plus inflationis, & iactationis habent, quàm veritatis, sed ad veras, & solidas, idest Christianas. Ita correptio & flagellatio his, quibus debetur, & à quibus debetur, magna est eleemo-

eleemosyna, & quæ saluet animam tuam, & aliorũ. Itaque orandus est Deus, vt faciet nos facere quod oportet facere. Patientem quoque esse consilijs, & doctrinis accipiendis: ac etiam verberibus & correptionibus non exigua est eleemosyna, sic enim & tibi ipsi prodes, & alijs. dum enim corripientem, & docentem, & percutientem non respuis, confirmas eum in opere bono, vt rursus idem libentius & liberius faciat. quem si refutares, comprimeres, ac tardiorem ad id rursus agendum redderes: atque ita tibi ipsi noceres & alijs. quibus labor eius prodesse potuisset.

In laudandis quoque benefactis, & detestandis malis non parua est eleemosyna, sic enim animantur homines ad bene agendum: & deterrentur à malo, & succurritur paupertati mentis eorum, qui sensu carent, & dicunt malum bonum, & bonum malũ.

Dicendũ est etiam, qui sint illi, qui facere debeant eleemosynam, vel ad obligationem, vel ad meritum, & sunt omnes quicunque sunt qui habent, vnde faciant eleemosynam, vbicunque adest is, qui vel spirituali, vel corporali auxilio egeat.

Diuites ergo primi, & quidem qui spiritualibus abundant, ne parcant labori, nam magna est spiritualium rerum egestas, eoque maior & periculosior, quo sentitur minus, atque ideo minus talium rerum eleemosynæ petũtur, si non etiam repelluntur, & exsibilantur ij, qui eas volunt facere. sed propterea non est cessandum, sed tanto magis vrgendum, quanto ij, qui spiritualibus egẽt, reijciunt illa à se. hoc enim ipso

iudicant morbum suum, & suam egestatem. Videbis vbi volueris consolare egenum, aut ægrum aut alia calamitate affectum, aut contumelia aliqua lacessitũ, & orare, vt id patienter ferat, & det gloriam Deo honorans iudicium eius: & alia dicere quæ in rem erunt: vt statim reclamabit, recte omnes cum valemus consilia ægrotis damus, tu si hic esses aliter senties, facile est verba facere in aliena calamitate, tu ua les. & bonis omnibus abundas, & me consolaris quasi ego in eo sim in quo tu es.

Hæc autem alia si nõ verbis, corde reclamabit, vt te à tali consolatione facienda deterreat: & ad auxilium pecuniarium, aut corporale inuitet etiam cum peccato, vt cum vult vt se in facienda vindicta, aut in causa turpi foueas & iuues. Quare, cum seipsum tibi sic indicet, non est deserendus, sed dicendum iccirco Deum non omnes simul ad eandem calamitatẽ adducere: vt supersint consolatores illi, scilicet ipsi qui cum valent recte alijs consilium dant, qui nõ possent, aut non facerent si & ipsi pari detinerentur calamitate, ac gratiam Deo habendam, qui faciat, vt aliquis consolator accedat, suscipiendus itaque tanquã a deo missus, & non repellendus quasi veniat à seipso consolator onerosus; neque debemus aliorum benedicta hoc ipso repudiare, quod ipsi non seruant, aut seruaturi non essent quæ dicant, sed tanto magis laudandũ Deum, qui ne deessent nobis consolatores, etiam ex his qui indigni sunt, nobis adesse voluit consolatorẽ, nam fortes et vere boni viri pauci sunt, nec facile talium

lium omnibus copia est, præsertim cum & interdum bonus vir & fortis, & aptus ad consolandum sit is, quem nos indignum putamus. itaque bona vndecunque nobis arripienda sunt, & sumenda tanquam porrigantur à Domino.

Non ergo deterrendi sunt diuites, & ij, qui indigni sunt ab hominibus consolandis, & visitandis, sed docendi sunt, vt & ipsi digni esse velint. nam, quantumuis sint indigni, non excusantur à consolando, & docendo alios: quandoquidem peccatum nostrum nos non excusat à lege, sed magis subiectos facit legi. nā talibus posita lex est. 1. Tim. 1. Quamobrem tenentur recedere à peccato, & digni effici, qui possint alios consolari, docere & corripere, & etiam festucam ex oculis aliorum eijcere. nam eis præceptum est, eijciant prius trabem ex oculo suo, et postea videant eijcere festucam ex oculo fratris sui, Matt. 7. & si quidem aliquis nondum eiecerit festucam, vel trabem ex oculo suo, aut eijcere etiam nolit; tamen nos non debemus ipsum à nobis repellere, dum ad nos loquitur verba Dei: sed patienter & amanter audire, tanquam à Domino missum, vt diximus. nobis enim ille non prædicat seipsum, sed Christum. non dicit faciamus quod ipse præceperit, sed quod Christus præcepit. nō dicit vt imitemur se, sed Christum: ac ei gratiam habere debemus, quod quāuis sibi ipsi non prospicit, prospicit tamen nobis: & quòd si dare corporalia non vult, dat tamen spiritualia, quæ sunt multo pretiosiora, licet illi minus pre-

tiosa videantur, atque ideo libentius dat. præterea si eum non spernimus, fortasse ex hac verborum eleemosyna veniet etiam ad rerum corporalium eleemosynam, quia Deus adiuuat, et nos quoque in hoc eum & omnes, qui nos admonent verborum Dei, adiuuare debemus prece ad Deum, & mutua etiam admonitione ad ipsos. præterea de eis male iudicare non debemus: nam fortasse in alios liberales sunt, & ideo minus dant nobis, neque debent nobis indicare, quid cum aliis agant.

Ad hæc non pro minimo habere debemus, quod nobis recitant verbum Dei, nam id si attenderimus, nihil nobis deeße poterit. ad hoc enim venit filius Dei non vt diuites nos rerum pereuntium faceret, quanquam & illa etiam tribuat, sed verbi Dei, quod manet in æternum. Itaque si per malorum etiam hominum admonitionem quærimus regnum Dei, et iustitiam eius, adiicientur nobis omnia, quæ etiam corpori necessaria sunt, Matt. 6. Itaque magnam nobis eleemosynam facit, qui prædicat nobis, aut prædicari facit verbum Dei, seu id publicæ, seu priuatim agatur. itaque qui nobis bonos confessores parat, aut ostendit vt eos ad nos vocemus, aut nos ad eos accedamus, magnum nobis beneficium facit, & non spernendum.

Et in hac quidem eleemosyna spirituali & diuites, & pauperes pares eße possunt, nisi quod diuitibus maior quædã facultas est adiiciendi ea, quæ alios doceant, possuntq; præceptores conducere, qui filios

suos

suos, & pauperum etiam doceant, quæ Christi sunt; itaque si pecuniæ non parcunt, & labori & pudori, multum prodesse in hoc hominibus possunt. sed valde obtusę sunt diuitum mentes, ita vt quiduis potius quàm hoc ipsum audeant cogitare. quare valde & docendi & admonendi sunt, vt curent in vicinia, & parochia sua si non rectores, saltem capellani & præceptores, vt adsint boni, qui libenter bona doceant, neque parcant labori.

Pauperes quoque, & ipsi multum in eleemosyna spirituali conferre possunt: quia & si eis non sit præcipientium & temporis copia; tamen si quando casu aliquo docti euadunt, laborant libentius, idque absque verecundia & tædio, & sibi id honorificum putant, quod ditibus videtur multum vulgare, & plebeium. itaque illi deterrentur, isti adiuuantur propria conditione, & opinione oportet quidem vtrosq; intelligere pretium huius rei, & quanti fiat à Christo, idque attendere: & non quanti à mundo fiat, qui contemnit, quę Christus in pretio habet. Et hoc docendi sunt homines, vt tandem aliquando alicui diuitum Deus aperiat aures. nam fatentur magnum esse bonum locare virgines pauperes, & alijs necessitatibus hominum prospicere. hoc autem ipsum, quod vrget homines ad id faciendum, & ad faciendum cum fructu; contemnunt, & pro nihilo habent, tanquam omnes sciant quid facere oporteat, aut tanquā faciamus oēs, quæ scimus nos facere oportere.

Hæc autem prædicatio non tantū è suggestu, sed

ex omnibus locis prodesset moribus, & verecundiæ, & modestiæ: itaque frugi fierent homines, neque Deũ pompis & vanitatibus, & seditionibus, aliisq; flagitiis irritarent. quare abundaremus omnibus rebus: pauperesq; inter nos essent aliarum nationum, & tantum ad exercitium nostrum: aut si essent ex nostris, essent voluntarij, quales in primitiua Ecclesia fuerunt, in qua prius egens in eis non erat, postea, cum persecutionibus agitarentur, oportuit, vt Apostoli soliciti essent pro eis, & ex aliis prouinciis mitterent, id quod erat exercitium Ecclesiarum. vt autem his prædicationibus, & exhortationibus, quibus spiritualis mundo fit eleemosyna, abundare possimus, necessaria non est exquisita illa doctrina, qua subtilitates tractentur, ac declarentur: nam in promptu sunt rationes, & omnibus obuiæ, quibus homines ad regnum Dei quærendum instruantur, modo voluntas adsit docendi, & absit gloriæ malus pruritus, qui iam pridem multũ impediuit populum Dei à necessaria doctrina, dum pauci prædicant, & ex his pauciores recta et vtiliora docent, paucissimiq; audiuntur, ac non nisi fama insignes populum habent auditorem numero & attentione conspicuum.

In re quoque pecuniaria, vbi sicuti debemus, dignationem Dei nostri nobiscum attendimus, etiam pauperes eleemosynam facimus. non enim pro mensura facultatum, sed pro mensura gratiæ Dei fit eleemosyna: præsertim cum diuitiæ non à nobis, aut à labore nostro, sed à benedictione Dei sint. quis enim

dat nobis ingenium, & vires? quis dat, vt laborare velimus, & laboremus, & id agamus? quis dat pacē? quis facit, vt quod habemus, habeamus? nonne Deus? quid ergo non respiciemus eum, qui per pauperes suos à nobis petit? hoc modo pauperes, cum in area petuntur ab eis fruges, dant libenter, quamuis sibi necessarias, & quamuis etiā his plures sibi opus esse intelligant: sed ratiocinantur secum, & dicunt. has nobis dedit Deus; & quæ nobis necessaria sunt, ex ipso speramus, qui nobis vires & ingenium, & amicos, & sanitatem, & pacem parat: eum ergo volumus hac eleemosyna honorare.

Hortandi sunt ergo etiam pauperes ad eleemosynas faciendas, præsertim Doctoribus. nam pauperes his egent maxime, cum enim prædicatores docent, bona est conditio pauperum, quia fiunt modestiores, & ad misericordiam proni. quod ergo rustici pauperes dant religiosis, multum in rem ipsorum facit. docendi sunt item, vt laudent eleemosynas, etiam si eis non fiant, neque sibi ademptum putent, quod vident alijs datum, quamuis minus egētibus. nam hoc ipso, quod datum vident, possunt bene sperare: quia is, qui cœpit, & persuasit, vt illis eleemosyna fieret, augebit gratiam, facietq; vt maiores fiant eleemosynæ, & melius collocentur. non ergo inuideant eis, qui acceperunt, neque damnent, qui dederunt, sed orent pro vtrisq;, & agnoscant, venerenturq; iudicium Dei. & huius quidem rei magnopere admonendi sunt pauperes. nam vidimus in distributionibus,

inuidiam. *quæ per societatem charitatis fiebant multam inuidiam concitari, obstrepere de ministrorum vel iudicio, vel temeritate, & calumniari dicentes, fieri ad fauorem. ac sic alter alterũ accusabat pauper pauperem ita, vt plerisq; melius fuerit nullam distributionem factam fuisse. nam accipiebãt corporale quidem non nihil; sed spiritum amittebant, seu magis detegebant seipsos. quare prædicatores docere debẽt omnes, ita vt parrochi, & alij probati viri apprehensos pauperes doceant patienter agere, nulli inuidere; nulli maledicere; sed potius dare etiam de suo: & de eo, quod ipsis pro elemosyna datum est, distributores laudare, & simul admonere; si quid errent, nunquam tamen re incomperta consurgere ad iudicia: quia temeraria illa sunt; & Deo odibilia.*

Admonendi vt laborent; quo dent necessitatem patientibus: præsertim cum vident non adeo multum illis à diuitibus succurri. certe nemo pauperum excusationem habere potest; si consideret iudicium Christi in vidua illa, quæ duo minuta æra dedit, totũ scilicet victum suum, de qua supra iam diximus: præsertim cum hic non agatur de excusatione à benefaciendo, quæ nihil nobis lucratur; sed de occasione benefaciendi, qua promeremur Deum, & qua nobis omnibus opus est; qui misericordia non iudicio putamus nos ad salutem esse peruenturos. & cum melius sit dare quàm accipere, Act. 20. pauperes accipiendo, & largiendo lucrari possunt: præsertim cum dantes non in reliquo facultatum suarum possint confidere;

dere, vt dites possunt, sed tantum confidant in Domino. itaque maioris fidei meritum habent, quàm sic exercent, vt scilicet & in tempore hoc, & in futuro seculo mercedem expectent. accipiendo autem obligant Christum eis, qui dederunt & etiam seipsos ad eos recipiẽdos in tabernacula æterna. quare dent operam, vt cum Christus dixerit, Esuriui &c. ipsi quoq; sint ibi in eis, in quibus pastus est Christus, & qui recipiunt alios in tabernacula æterna. id commode facient patientia, & largiendo alijs de eo, quod eis datum est, quamuis minimum sit, quod dant: nam magnum fit bona voluntate. aut si adhuc bona nõ adest voluntas, dent, vt detur sibi ipsis à Domino bona voluntas.

Magnam item eleemosynam faciunt pauperes cũ non litigant pro mercede, sed vltra remittunt & donant ijs, qui defraudant ipsos, & qui differunt, & omnia agunt, ne dent, ijs ergo, ne litigemus, & ne illos grauiore delicto contumaciæ obstringi videamus, si remittimus quod nobis debent, magnã eis eleemosynam facimus. nam sic facilius dabunt aures inspirationi diuinæ, dum nos tam faciles habent, & simul exemploque nostro Deus illos admonet, non esse tanti faciendam pecuniam: quoniam vident nobis, quibus est magis necessaria, non eße tam charam, vt pro ea velimus quemquam irritare, aut litium laborem subire.

Eleemosynas item facere debent clerici, et omnes qui bona, quæ dicuntur Ecclesiastica, possident. nam

ex his tres partes olim statutũ erat vt fierent: vna daretur necessitati personæ, altera vt sarta tectaque sint templa, tertia pauperibus distribueretur. atque hic seditiosi clamant, bona Ecclesiarum esse pauperum, & in hoc verbo multa fecerunt mala, neque pauperibus prospexerunt, sed omnia conturbauerũt. Quare docendi sunt homines datas decimas Leuitis olim fuisse à Domino, non vt distribuerentur pauperibus, sed vt ex his Leuitæ victum haberent: & si quidem vellent, possent et ipsi eleemosynas facere, sic & primitiæ, & alia multa data sunt sacerdotibus: ea vero multo maiora sunt, quàm ea, quæ hodie clericis, & qui ecclesiastici dicuntur, data sunt: ac si quis videat ecclesiarum fundationes & capellarum, & cæterorum beneficiorum, fere omnia videbit statuta ad sustentationem ministrorum, & non ad distribuendum pauperibus. nam pro pauperum subuentione statuta sunt hospitalia, mõtes pietatis, & tempore famis, aut alterius necessitatis fiunt collectæ, vt pauperibus sit prospectum.

Quid ergo clerici, & qui pingues habent redditus ex Ecclesia, non debent eleemosynam facere? debent debito vel congrui, vel necessitatis, sed non quia clerici, non quia ex Ecclesia habent, sed quia habent, vt supra iam diximus, omnes quicunque habent obligari ad eleemosynas aliquo modo; & hoc ipso, quòd clerici, quod aliorum sunt magistri, & quòd ex eleemosynis viuunt, habent vrgentiores quasdam causas ad largiendum, vt scilicet sint alijs exemplo, vt

quod

quod verbis docent alios, re quoque & ipsi præstent: vt doceant magis: ita, quia & ipsi, ex eleemosynis viuunt, sciunt quàm gratū sit eleemosynas capere. meminisse ergo debent aliorum: sicut Dominus dixit, Exod. 23. peregrino molestus nō eris: nostis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Egypti. ita quia electi sunt ad laudandū Deū, non vulgari tantum modo, & illo, quo Christiani omnes debent, sed etiam particulari, tanquam totius Ecclesiæ ministri, æquum est, vt non verbis modo, sed & re ipsa laudent Deum: & curent, vt alij laudent, & gratias agant. id autem faciunt, dum alijs eleemosynas largiuntur. nam qui recipiunt, laudāt Deum, & gratias agunt, vt 2. Cor. 9. præsertim cū & etiam docentur à sacerdotibus ipsis, & vident quòd ab ijs corporalem eleemosynam capiunt, quibus ipsi pro doctrina eam debebant, si habuissent, vnde darent. præterea clerici, si eleemosynarij agnoscuntur, habent auctoritatem ad persuadendū alijs, vt eleemosynam faciant: multiq; cōsilio ipsorū vtuntur ad eleemosynas faciendas: quia sciunt eos odorare necessitates pauperum, & facile eas persentiscere ob recursum eorum ad ipsos: qui si in hoc sint negligētes multis nocent, qui eorum exemplum attendunt. verūtamen boni Christiani, seu clericos videant eleemosynarios, seu auaros; faciūt ipsi suas eleemosynas, vel ad clericos in hoc inuitādos, vel ad supplendā ipsorum negligentiam, sicut Samaritanus ille à Christo laudatus vulneratum suscepit, & curam ipsius egit,

quãuis maxime à Sacerdote, ac Leuita pręteritus fuisset. Lucæ 7. quia sacerdotis, & Leuitæ negligentiam non ad exemplum, sed ad benefaciendum occasionem oblatam debemus putare, atque arripere, vt Samaritanus ille fecit.

Serui quoque, filij familias, vxores, & quicunque rem non habent, eleemosynas tamen facere debent, vel spiritualium rerũ, quas Deus cuiq; partitur, vel prompti, & parati, & obedientis animi ad orandum pro omnibus: & persuadendum vt fiant eleemosynæ, & ad ministerium impendendum, quo fideliter, et veris pauperibus distribuantur. nam sæpe multæ fiunt fraudes. seruus ergo fidelis, qui custodit ne quid surripiatur, neque non dignis distribuatur, quique curat vt cito & hilariter distribuantur, & cum bono verbo, multã partem in eleemosynis habet. ac sæpe maiorem eo ipso, qui pecuniam tribuit.

DE IEIVNIO.

CAP. XXIII.

T*RACTANDVM est etiã prædicatoribus de Ieiunio, idq́; hoc tempore aliquanto diligentius ob exortas cõtentiones: quibus factum est, vt Ieiuniorum tantum pro exercitatione corporali, & pedagogia quandam, et pro frenanda carne sumendum dicatur:*

idq́,

idq; libere pro cuiusque arbitrio: nihil morati constitutiones humanas. atque ita omnem ecclesię disciplinam confundunt.

Ostendendum itaque est antiquũ esse morem præcipiendi ieiunij, vel ad iram Dei auertendam, vt fecit Rex Niniuæ. Iona. 2. & Ioel 2. vel ad hostes vlciscendos, vt præcepit Saul. 1. Regum. 14.

Sed dicent id in articulo tantum necessitatis, at obliti sunt, qui simus nos, & quanta necessitas sit seculi huius: & quo cum hoste congrediamur, an non imminet ira Dei in omnes? rectius ergo ecclesia prima, vt est videre in Augustino de Moribus Ecclesiæ, fere omnes quotidie ieiunabant, & maiore diligentia agebatur ieiunium Quadragesimæ, quàm nunc agatur: quia tunc erat plus luminis, apparebat periculũ & hostis. nunc omnia videntur tuta, & hostem cessare: quia in tenebris est seculum hoc in multis, & tuto nunc ieiunia, & præcepta maiorum spernuntur: quia præsens non apparet, ita ut antiquis. sed id nõ est quia Deus minus sit puniturus, sed quia prioribus pœnis ostensum voluit quid sibi displiceret: vt suo tempore pœnam contumacibus futuram crederemus. 2. Petri. 2.

Ieiunijs publicis honoramus Deum, ne videamur ad carnis, & nõ ad spiritus libertatẽ vocati, ne Epicuro fauere videamur, & non Christo.

Item vt conformemur capiti, & apostolis eius, & primis. 2. Cor. 11. vtque ablato sponso ieiunemus: sicut prædixit ipse sponsus. Matt. 11. Et specialiter

ieiunium Quadrageſimæ agimus, vt Moſes, et Helias & Chriſtus ad legem accipiendam, & tradendam, vt Moſes. Itaq; illis diebus prædicationem audimus, & frequentius oramus, ad ſpiritum accipiendum, & impertiendum, vt Helias qui etiam Reges, & Prophetas inūxit à Ieiunio. 3. Reg. 19. Et ideo ad Eccleſiam concurrimus ad ſacrum, & ad concionem ſacrā: vnde non legem modo, ſed & ſpiritum Dei accipiamus, & regamus alios: & inſtruamus, vt zelent pro regno Dei, & prophetent alijs.

Item vt tentemur à Diabolo, vt Chriſtus, vt idonei inuenti habeamus miniſtros angelos: & in virtute ſpiritus docentes alios ambulemus. Matt. 4. nam per ieiunium melius operam dabimus verbo Dei, & ſanctis precibus, & contemplationibus.

Item quia ieiunio vitia reprimuntur, & mens in Deum attollitur, ſi fide ſuſcipiantur. ſuſcipiuntur autem fide, quia ſunt cultus Dei, & Deus mercedē pro illis reddit. Mar. 6. Luc. 2.

Item quia præcepta ſunt ab Eccleſiâ, & prælatis eius, quibus nos parere æquum & iuſtum eſt, & eis permittere de cauſis ieiuniorum, vt nobis ſit meritū obedientiæ: tantum ergo vbi complexioni, aut valetudini noſtrę ſunt noxia, referamus prælatis noſtris: & ab his veniam referemus, qui prodeſſe nobis non obeſſe volūt. in reliquis obedientes erimus: ac gratias agemus Deo, qui tales nobis prælatos dedit, per quos nos inſtruxit. Nam & ieiunijs Dæmonia eijciuntur. Matt. 17. Mar. 9. & nobis aduerſus eos colluctatio

eſt,

est,opusq; nobis est,vt eos à nobis, & à proximis nostris,& ab infidelibus etiam eiiciamus, id metuentes dæmones excitant contemptores ieiuniorum, vt ipsi dæmones regnēt, neque ipsos eiiciamus per ieiunium. nos autem Ecclesiæ obedientes repellemus dæmones ipsos etiam à contemptoribus ieiuniorum.

Item ieiunantes Deum nostrum prouocamus ad dandum nobis panem nostrum quotidianum,ac si abstineamus à cibo,qui nobis contingit,postquàm eiecti sumus è Paradiso,qui etiam beluis communis est, vt Deus det nobis panem nostrum, scilicet filiorum suorum, & non iam filiorum Adæ: quandoquidem in Christo renati sumus.

Ita ieiunio significamus,nos non habere in diuitiis nostris consolationem nostram,sed velle consolationē à Domino. aduersarij autem nostri volunt, vt fruamur bonis datis,vt in his acquiescamus,dum ieiuniū pro nihilo habendum dicunt. nos autem Ecclesiam Christi sequemur ieiunātes à carnalibus, vt spiritualia appetere condiscamus: neque amore carnalis cibi distineamur, oremusq; Deum nostrum, ne fucatis, & contortis eorum verbis decipiamur.

Ieiunio reuelationes impetrantur, vt in Daniele, & aliis est videre. & nobis reuelationibus opus est, vt non omni spiritui credamus: sed probemus spiritus vtrum ex Deo sint. 1. Ioan. 4. nam discretio spirituum donum Dei est. 1. Cor. 12. Satan autem, qui se transfigurat in Angelum lucis cum ministris suis. 2. Cor. 11. Nollet nos ieiunare, ne ieiunio ipse cum suis

ministris, & artibus detegatur. sed nos ecclesiæ in ieiunio quoque obediemus, vt lumen Dei recipiamus, et tenebras propulsemus: ipsumq; Satan cum suis artibus confundamus.

Ieiunio item Regum placatur ira, hostesque nostri cōfunduntur, et fiunt acceptæ orationes ad Deū, vt in Hester apparet, & Tobia. Hester. 4. Tob. 12. nobis quoque id opus est, vt superiores nostri nobis placati sint, & confundantur hostes nostri: vt detur gloria Deo nostro, omnesq; gentes ad agnoscendum Deū conuertantur, quem vident tam propitium suis. hoc nollet nobis Satā, vt Turcos in nos immittat: & religionem nostram confundat.

Itaque ieiunio facit obstrepant hi ipsi, quos iā iam prædæ Turcis destinauit. nos autem ieiunio placemus nobis regem Deum, qui confundat imminentes in nos hostes, & conuertat ad veritatem: qua Deum nostrū nobiscum honorent.

Item ieiunio paratur nobis vnde eleemosynam faciamus, vt scilicet nos ieiunantes non nihil famis, quā pauperes frequenter sustinent, sustineamus, & ipsis pauperibus non nihil nostræ saturitatis impertiamur, vt sic efficiamur in pauperes aliquanto quàm antea misericordiores, agnoscamusq; beneficium Dei in nobis, qui non permisit nos illis necessitatibus premi. ergo pauperes ex eo quod sibimet detrahūt, largiuntur. diuites autem fame ipsa fiunt misericordes, et ita plusquam facerent, subueniunt pauperibus, quorum experti sunt ieiunio calamitatē: præsertim, quia Deus

id inspirat his, qui Ecclesiæ suæ parent. hoc Satan metuit, & vt ieiunium excludat, omnia tentat, vbi autem id nequit, eleemosynam laudat pro ieiunio: non ut eleemosynæ ieiunium addatur, sed vt eleemosynarũ prætextu à ieiunio nos excludat, quas nouit nos non esse facturos, aut leues, & contumaciter largituros. scit enim auaritiam nostram, & contemptum bonarum rerum, & quod si non ieiunamus, neque eleemosynarum gratiam experiemur saturi, vel nihil, vel minimum quid largiemur. nos autem, quia scimus bonam esse eleemosynam cum ieiunio, hoc ipso magis ieiunabimus, quo speramus Deum nobis astaturum, et per ieiunium nos illuminaturum, quo maiores melioresq; eleemosynas faciamus, si prius hanc nobis eleemosynam fecerimus obedientiæ, scilicet erga ecclesiam suam. quàm multi enim, vt habeant, vnde se suosq; ornent, & splendidis, aut vtcunq; melioribus vestibus sese colant, ieiunant, & subtrahunt gulæ ac ventri, vnde apud homines culti incedant? & nobis inane videbitur, si pro pauperum substentatione quæ in conspectu Dei, & Angelorum splendidissima est: ieiunabimus? quare parebimus ecclesiæ: quæ etiã ad hoc ipsum nobis ieiunia indicit, vt paupertatem voluntariam libãtes, pauperibus subueniamus: auresq; claudamus ad falsos Prophetas, qui nos abducere volunt ab angusta ad viam latam, quæ ad perditionem adducit. Matth. 7.

Ieiunio item fit, vt diutius ac diligentius sacris operam demus, ne filij huius seculi sint nobis diligen-

tiores, qui ieiunant ad lites, ad ſpectacula, ad ludicra, ad noxia. quis enim referat quàm multis ieiunijs fatigentur, ac macerentur pro rebus ſeculi huius? his nō decet nos eſſe minus diligentes. quare ieiunia indicta ſunt nobis, vt ſacris vacemus. hoc Satan horret: ſcit enim vim verbi Dei, & precium præſertim multitudinis Chriſtianæ. itaque vrget ſuos miniſtros vt ieiunium lacerent, aut ſi aliter nequeat, laudet quidem conciones & ſacra, ſed ieiunio illas impediri mentiantur. vult enim ſaturos, aut ad cibum parandum, aut condiendum occupatos ſacris concionibus vale dicere. nos ergo Eccleſiæ obediemus: nam Deus ipſe nos ad ſacra, & conciones deducet, implebitq́; ſpiritu ſuo.

a

Ieiunamus item, vt teſtificemur nobis non placere peccata, quę in orbe fiunt, noſq́; illis cauſam præbitā nolle: ſicut Dauid in nece Abner fleuit & ieiunauit, 2. Reg. 3. hoc eccleſia nos vult ſentire, hoc Satan edit. nos ergo eccleſiæ Chriſti, & non miniſtris Satanæ pareamus, ne participes ſimus peccatorum, ſed eorum, qui timent Dominum, participes ſimus.

Item vt appareat verum verbum Chriſti, qui dixit, cum ablatus fuerit ſponſus ab eis, tūc ieiunabunt. Matth. 11. Luc. 5. vt ita prouocemus ipſum ad reditum, vt lætetur nobiſcum Pſ. 105. hoc nollet Satan: ita miniſtros ſuos excitat aduerſus ieiunia; neque ſibi non placere ait ieiunia, ſed velle eſſe libera, & pro cuiuſque iudicio, vt ſcilicet, & nos priuet obedientiæ bono, vtq́; ſeducat à cunctis ieiunijs: aut quàm pauciſſimis ſinat nos vti, vtq; ſic ſenſim neget diſciplinā

ecclesiæ, et ius prælatorum comminuat & vnūquēq; faciat pastorem sui ipsius, nemoq; agnoscat pastores Ecclesiæ, & diuersa quæ Deus in ecclesia sua membra constituit, vt confundat omnia; antiquumq; morum chaos reducat. nos autē, posteaquàm ecclesiæ paruerimus, discemus quomodo sit ieiunandum, & quid ex ieiunio boni capiamus: atque ita alijs quoq; diebus nostro arbitrio ieiunabimus: vt & liberis, & præceptis ieiunijs vtamur, & non voluntarijs tantū. nam ad hoc ieiunia nobis indicit Ecclesia, vt per ea discamus etiam nostro arbitrio ieiunare: vt etiam si cui asspere imperatum videatur, & angariatos nos esse dicat; agnoscat nos his non turbari: sed duplum addere, vt voluntarie nos ieiunasse intelligant, etiam cum ex præcepto ieiunauimus: Vt qui volumus & præceptores, et admonitores in opere bono habere: vt et ipsi partem habeant in opere nostro bono, quod nobis à Domino in hoc datum credimus per ministerium eorum, ut ipsis quoque participaretur. præceptum enim Dei, & ecclesiæ non aufert, aut impedit voluntatē bonam, sed excitat, adiuuat, & ad effectum adducit.

Item ieiunio in rebus prosperis humiliamus nos ipsos, & gratias agimus Deo nostro, vt custodiat nos, ne insolescamus. talia sunt ieiunia, quæ fiunt collectis fructibus, vt in abundantia memores simus famis, & vicissitudinis: reprimamusq; nos ipsos, ne opus sit, vt Deus flagello nos aliquo reprimat. modumq; adhibemus ieiunijs, ne spernere dona Dei videamur, sed tantum voluisse nos admoneri fragilitatis nostræ: et ora-

re auxilium ab eo, qui prospera nobis compararit.

In aduersis item ieiunamus, vt sic Deo satisfiat, vt citius nostri misereatur, neque vlterius in flagellando progrediatur, vtq; flagellũ ipsius honoremus; nosq; ipsi vltro addamus flagellis ipsius ieiunium nostrum: vt qui fateamur nos digne plecti: & tamen sperare in misericordia eius. 1. Reg. vlt. in fi. 2. Re. 16.

Satan autem in prosperis vult nos insolescere, & obliuisci sermonum Dei, & stabilem prosperitatem sperare, ac confidere in incerto diuitiarum: neque ieiunium ad gratiarum actiones, & fragilitatis nostræ agnitionem admittit.

In aduersis autem extolli nos vult, ac erecto collo incedere, vt qui magno & elato animo spernere flagella, & aduersa videamur tanquam mortalia, et fortunæ impetus contemnamus, & non credamus ea nobis à diuina prouidentia prouenire. nos autem ecclesiæ obediemus, quia de manu Domini cuncta suscipimus: neque casu quicquam agi cogitamus. itaq; illi commendare nos ipsos studemus, idq; tunc maxime facimus, cum ecclesiæ paremus, cũ ecclesiæ ipsius cõsentimus: quia tunc membra sumus ipsius, si non sana, certe quibus medela aliquo modo debeatur: quandoquidẽ à consortio ecclesiæ, quam sanguine suo mundat, etiã quod in ea ieiunijs maceremur, nõ recidimus.

Ieiunijs carnem rebellem domamus, castigamus, frenamus, & vt minus resistat spiritui, quàm solet, maceramus: vtq; ea spiritus ad bene agendum, ad opera item nostra, & aliorum bona non impediendũ

vtatur,

vtatur. interdum quoque & peccata nostra ieiunijs flagellamus, nosq; ipsos affligimus ipso ieiunio in pœnam peccatorum nostrorum, vel quia sic dolet peccasse, vt comedere non vacet, vel quia hoc ipso quod nos peccasse non dolet, ieiunij laborem adducimus, ut dolorem aliquem pro eo quod peccauimus, habeamus.

Ex his ergo & alijs causis ecclesia ieiunium suscipit, præcipitq; certis diebus, vt postea per se quisque alijs quoque temporibus cum suo fructu etiam propria voluntate ieiunet. nam quisque ieiunia quædam sponte sua suscipit: ac ea diligentius interdum seruat quàm quæ sunt ab ecclesia sibi & alijs demãdata. sed contra oportuit, aut æquè seruari. in his enim quę nobis præcepta sunt: habemus obedientiæ bonũ, ad hæc consensum totius ecclesiæ, quod magnum affert momentum ad Deum placandum. interdum autem sua quis diligentius seruat, non quia ea præferat ecclesiæ præceptis; sed quia sua non suscipit nisi cum sibi commodum est ieiunare. is in hoc non est improbandus, quandoquidem ecclesiæ præcepta veneratur: diligentiamq; adhibet ad seruandum quam potest præstare per valetudinem corporis sui.

Illud etiam admonẽdi sunt homines, ecclesiã Christi etiam pro paganis, & suis hostibus solere ieiunare: nam sicut orat pro calumniantibus, vt Matt. 5. & 1. Timot. 2. sic etiam & ieiunat quandoquidem placet ieiunium oratione adiunctum, facitq; efficacẽ orationem ad pellẽdos dæmones, vt est supra iam dictum: quare animandi sunt ad hoc omnes, & quidẽ

sancti viri libentißime pro alijs ieiunant vt Christũ imitentur: & quia sciunt per gratiã Christi quod ipsorum ieiunia accepta sunt Deo, ac multum etiã alijs prodesse posse.

Has & alias causas ieiunij, bonus quisque prædicator, & prælatus explicabit, vt quisque videat quàm non male sibi consulat ieiunans, vtque ecclesiæ, & Prælatorum auctoritas commendetur, & ostẽdatur bonitas Dei nostri erga nos, & Satanæ fraudes, quo populus libentius ac fructuosius ieiunet, detq; gloriã Deo, neque scrupulis, & superstitiosis obseruationibus atteratur, neque rursus contemptu ieiuniorum, & præceptorum ecclesiæ defluat, & ad deteriora sensim deficiat.

Proderit etiam nonnunquam, & obiectiones aduersariorum refellere: nam sic fit causa ieiuniorum illustrior, & vulgares illorum maledicentiæ conteruntur, & apparent quàm sint friuolæ, et quàm comptæ processerint ex officina Satanæ, et quàm nullius pretij, aut decoris sint, cum ad lucem productæ fuerint.

Obijciunt non esse præcipienda ieiunia, primo ne prælati austere imperare videãtur: quasi, scilicet, prælati facti sint nobis ad nutriendam carnem, vt austeritas videri ieiunium debeat. laudatur ergo à Christo & ab Apostolis ieiunium, & austeritatem illud appellabimus? carni ergo & inimicis crucis Christi austeritas videtur ieiunium: habet ieiunium suas causas, vt pietas non austeritas videri debeat, vt supra iam diximus. non. n. debitores sumus carnis, ad Ro. 8.

Sed

Sed dicũt, probat quidem Christus ieiunia, sed libera, & pro voluntate cuiusque assumpta itaque docet ieiunandum clam esse. Matth. 6. Vtique in ieiunijs nostra sponte, & nõ iussu prælatorũ susceptis. non enim Christus quæ publice mandata erant ieiunia, consulit aut præcipit secreto fieri. itaque idem ipse Matth. 5. dixerat lucere lumen nostrum coram hominibus, vt videant opera bona nostra, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. bonus enim magister docet, vt palam bona opera faciamus ad gloriam Dei, clam autem ad nostram vtilitatem. ecclesia ergo præcipit ea, quæ pertinẽt ad gloriam Dei, quæ nobis chariora esse debent ijs, quæ ad nostram sunt vtilitatem quãquam vtraque & ad gloriam Dei sunt, & ad nostrã vtilitatem, & ecclesia præcipit nobis publica, vt discamus etiam secreta ieiunia celebrare. sic enim Christus liberos nos fecit, vt tamen pastores nobis, & doctores, & rectores multos constituerit, vt libertate nõ abuti, sed legitime vti disceremus. 1. Cor. 12. & Eph. 4.

Dicunt Deus reprobat ieiunium afflictionis, Esa. 58. sed errant in hoc. Deus enim ibi non reprobat afflictionem, sed afflictionem solam, quia non vt affligat nos, sed vt vitia nostra reprimat, ieiunare nos vult. si autem nos ad lites, & ad rixas ieiunamus, videmur afflictione velle redimere peccandi licentiã, cum Deus velit ieiunemus, vt frangamus esuriẽti panem nostrum & vacemus operibus charitatis, & diuinæ laudi: ac si dicat. nolo te afflictum propter ipsam

afflictionem, sed afflictum te volo, vt discas compati afflictis. expertus ipsorum calamitatem, et propterea complexionibus colericis, quæ facile ieiunio inflāmantur, & irascuntur, aut resoluuntur; mitigantur ieiunia à suis prelatis.

Dicunt item, non esse præcipiéda ieiunia, quia ipsa minima, sunt inter opera bona, vnde illud. 1. Tim. 5. Corporis exercitatio ad modicum valet, interpretantur dictum de ieiunio. & quidem si ieiunium ad corporis exercitationem tantum assumitur, pro modico haberi debet, sed multæ sunt aliæ causę ieiuniorum de quibus supra dictum est: quibus exercetur fides, & charitas, & colitur Deus à ieiunantibus.

Dicunt item ieiunium ad carnis maceratione sumi, ac propterea illos qui carnem suam crucifixerūt cum vitijs & concupiscentijs suis, liberos esse: ac propterea non debuisse ieiunia indiscriminatim omnibus præcipi, quasi tantum ad macerationem carnis pręciperentur, & non essent aliæ multæ, & grauiores causę, de quibus supra iam diximus. nam ieiunium sanctorum plus prodest Ecclesiæ, quàm infirmorū, ipsiq; sancti ieiunant, vt alijs sint exemplo, vt disciplina ecclesiastica stabiliatur, præsertim cū pauci sint, quibus ieiunio opus nō sit, etiam si tantum ad carnis macerationem pręciperetur non ergo sancti sunt, & qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & cōcupiscentijs suis, qui repugnent præceptis ieiuniorum, sed alij qui sub prętextu sanctorum agunt negotium carnis, & Satanæ nam sanctis frequens est ieiunium pro se

atque

atque alijs, & vt orationi, & meditationi plus vacent item vt habeant obedientiæ bonum, & aliorum negligentiam suppleant, & reprimant contumaciam exemplo suo.

Rursus dicunt, plus mali quàm boni elicitur ex ieiunijs: ac propterea præcipienda non sunt, sed abroganda. hoc autem probant, quia alij contemnunt, alij gulę indulgent in ipsis ieiunijs: alij seuere & superstitiose nimis ieiunant. sed hæc sunt vitia hominum, nõ ieiuniorum. docendum quidem est, quis modus sit ieiunij: & reprehendenda vitia. non enim hoc primum bonorum operum est, quo peruersitas hominum abutatur. oportet ergo, si velint ieiunium probare plus mali quàm boni secum ferre, ostendant ieiunium legitime sumptũ habere id mali. quod facere non possunt, nisi Christi auctoritatem ipsum laudantis contẽnant.

Adhuc dicunt ieiunia ortum habuisse à consuetudine: ac primo quidem sensim, & pauca seruata. postea crescente superstitione in immensum aucta. sed multum falluntur: nam consuetudo habuit multo plura, quàm nunc habeantur ieiunia, vt apparet in libro diui Aug. de moribus Ecclesiæ, & in consuetudine Ecclesiarũ Orientaliũ, quæ et multo plura quàm nos, & maiore seueritate & austeritate ieiunia frequentant.

At dicunt, satis est, quòd multo plura nos ieiunia habemus, quàm haberentur sub lege in Ecclesia Iudæorum. sed hoc non debet mirum uideri. nam sub lege non erat detecta carnis inimicitia tã aperte quàm

ſub gratia, ſed bona terræ promittebantur, quibus ieiunium eſſet iniquum. nunc autem reuelata gratia, et data ſpiritus conſolatione: tuto carnem crucifigimus, ut ſpiritui ſubijciatur. non enim ſumus ſub lege, ut tribulatio carnis ſit irritatio eius ad detegendum peccatum, & ad fructificandum morti, ſicut ſub lege, cum regnabat peccatum. nunc enim non lege, ſed ſpiritu facta carnis mortificamus. itaque tuto, & cum fructu ieiunamus, cum peccatum non regnet amplius, cum non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia, ad Rom. 6. nobisq; nunc mortificatio carnis pro magno beneficio demonſtrata eſt.

Quare paupertas commendata, et omnis afflictio, quæ procul erant à promißionibus legis. nunc ergo ieiunia congruunt, quæ in lege antiqua eßent ſuſpicioſa ne, per ea Deus imminuere velle videretur benedictionem temporaliũ rerum, quas promittebat. Nunc ergo cum plus datur, ac promittatur ſpiritus, maior locus eße debet carnis mortificationi, vt ſpiritus magis regnet, minusq; impediatur à carne. non ergo mirum, ſi ieiunia nobis ſunt frequentiora, quàm illis fuerint, præſertim cum nos pro toto mundo oremus. 1. Timo. 2. quod illi non faciebant, ſed imprecabantur mala cæteris gentibus, pro quarum nos nunc ſalute & ieiunamus, & vota facimus, & preces, vt qui Chriſti veſtigia ſequentes etiam mori pro ipſis parati ſimus: tantum abeſt, vt ieiunium fugiamus, 1. Pet. 2. 1. Ioan. 3. Matt. 5.

Amplius dicunt ex ieiunij præcepto factum eſt,

vt humana pluris fiant quàm diuina: quia homines pluris faciunt Ecclesiæ præcepta quàm Dei. nam nemo irritatur, si quis sit scortator, & adulter, & vir malus: at vero si non ieiunet, omnes eum accusant. sed respondendum, ille, qui peccat aduersus præcepta Dei, est proprio iudicio condemnatus. itaque est etiam omnibus pro peccatore. in eo autē, qui prorsus non ieiunat, apparet etiam contumacia. nam si tantum aliquando non ieiunaret, nemo miraretur: multaq; excusarent. sed cum aliqui penitus nō ieiunent, ostendunt contemptum Ecclesiæ Dei. præterea hoc ipso, quod Ecclesiæ remedia contemnunt, indicant non modo sese esse peccatores, sed velle etiam in peccato perstare. item quia cum neque hæc paucula velint suscipere, ostēdunt, quàm sint à grauioribus alieni. itaque non fiunt pluris humana, quàm diuina: sed ex his iudicium sumitur, quales sint aliqui homines ad diuina.

Præterea esto fiant humana pluris quam diuina. hoc nō arguit Ecclesiæ præcepta mala esse, sed malos homines bonis etiam rebus abuti: id quod est frequentissimum: atq; ad hoc prædicatores & doctores sunt in Ecclesia: vt doceant quid quanti faciendum sit: neque tamen hæc præcepta dici debent humana, sed diuina potius per hoīes Dei ministros promulgata.

Amplius dicunt, etiam si sit maxime ieiunandū, tamen delectus ciborum probandus non est, ne videamur aliquid immundum iudicare: præsertim cum ieiuniorū tempore multo salaciora apponātur, quàm

sint carnes, sed res ipsa loquitur. non enim improbantur cibi, qui non nisi tempore ieiunij vetantur, & apparet cur id fiat, vt scilicet cibus ipse minimum virium habeat.

At ponunt in hoc homines summam religionis, & putant per id iustificari. sed huic responsum est in tit. de Constitutione. nemo enim talibus iustificatur, aut iustificari se putat, nisi quòd putat sese bene agere, si ita agat. ad remissionem autem peccatorum obtinendam vtitur Christi sacramentis.

Adducunt scandalizari magis homines, si quis ieiunorum tempore vescatur carnibus, quàm si non ieiunet: cum tamen ieiunium bonum sit, etiam in quo carnes comeduntur, cum est ieiunium liberũ, sed iam est responsum, quoniam ex hoc apparet contemptus remediorum Ecclesiæ Dei, & indicatur qualis sit ad grauiora, quando ne leuia quidem hæc ferre velit.

Amplius dicunt, esca nos non commendat Deo, & non est regnum Dei esca & potus, et quod intrat in os non coinquinat hominem, & comedite quæ apponuntur vobis. sed si esca nos nõ commendat Deo, cur tantopere ipsi carnes ambiunt, etiam cum scandalo tam multorum? cum apostolus carnes nũquam se comesturam dicat, si fratrem offendat? si regnum Dei non est esca, & potus, cur tantopere pugnant pro esca & potu, & ieiunium contemnunt? si, quod intrat in os, non coinquinat hominem, cur nolunt ea, quæ Ecclesia concedi præcipiat? si comedendum est quod apponitur, cur vitãt, quòd Deus apponit Eccle

siæ

siæ Christi, & malunt quod eis contumacia, & religionis contemptus apponit? cur seipsos & contumaces, & scismaticos magis audiunt quàm Ecclesiam Dei à principio suæ renascentiæ, vsque in hanc diem stata ieiunia probantem: & pręcipientem? an dicent Ecclesiam Christi esse eam, quæ contemnit antiqua præcepta Ecclesię tanquam additamenta Satanę, quasi Satan sit ieiuniorum, & bonorũ morum inuentor, aut probator, & Ecclesia in re tam graui tot seculis à Satana decepta sit? quod quid aliud est, quàm peccare in Spiritum sanctum, & Dei opera tribuere Satanæ? quod quidem illis, qui sunt a parte ipsius, suauißimum est. itaque non mirandum, si ieiuniorum quoq; pręceptis et constitutionibus obstrepũt.

Prædicator ergo rationes aliorũ refutans exhortatur ad ieiunia præcepta pro obedientia, & aliis causis, de quibus est supradictum, & simul refert refutat *superstitionem, & vanitatem, & arrogantiam, & intemperantiam, & indiscretionem, & fiduciam vanam, ne quis glorietur, vt ille, qui dicebat, Ieiuno bis in Sabato, ne quis propter ieiunium relinquat opera charitatis, patientiam, affabilitatem: ne quis tristitiam incurrat, & accidiam, sed gaudeat, quòd in conspectu Dei ieiunet, tempusq; illud addat orationi, & eleemosynæ, & consideret quàm multa peccauerit, quantoq; in periculo sit peccandi: & ita libera ieiunia sumat pro viribus suis, præcepta vero etiam supra vires seruare contendat, sed vbi senserit esse noxia, prælato suo referat, vt ex eo ipso habeat quẽ*

ponat ieiunio modum.

Quidam quoq; alteri ieiuniorum vtilitatē, quam capit, ostendat, vt sic alij inuitentur, aut certe in officio conseruentur: nemo tamen legem alteri faciat exemplum suum. nam præterquàm quòd diuersæ sunt hominum complexiones, nemo arrogare sibi debet, vt sit aliorum prælatus. satis ergo sit inuitatio: sic tamen vt ieiunium, quantū per nos licet, vix, aut nunquam, sit solum: sed sit ad melius ac diutius vacandum rebus diuinis, & animi puritati, & tranquillitati. Deus enim non afflictionem nostram, sed fructum, qui ex afflictione colligitur, amat. Itaque ieiunium sæpe vertitur in solemnitates præclaras gustu supersubstantialis panis nostri: cuius comparatione sordescit omnis copia huius mundi, & omnis eius conditura. Venitq; illud tempus cum præ gaudio cōtemplationis diuinæ, tędet vitæ huius, obnoxiæ huic manducandi necessitati, qua re inuiti, & resistentes, & non nisi adacti necessitate accedimus ad mensam panis humani, vt qui iam vescamur pane spirituali. Quare nullus ieiunij labor, sed suauitas & delitiæ potius, eæque multo maiores, quàm ante fuerint carni suæ carnales deliciæ cibi, & potus, & cum etiam ad corporalem refectionē accedimus cum multa gratiarum actione & lætitia accedimus. tanquam de manu Dei nostri etiam corporalem cibum accepturi. Omnis enim ieiunandi difficultas ex eo prouenit, quòd spiritualia nondum attingimus, aut intellectu tantum, non etiam affectu contingimus.

itaque

itaque fit, vt omnem lapidem moueamus, quo defendamus nostram ignauiam, & nobis nostras delicias conseruemus: quandoquidem spiritualia nondũ agnouimus. an non videmus studijs, aut lucris, aut etiam ludicris intenti quàm facile totos dies ieiuni transigunt nulla molestia? immo quibus esset molestum, si à suo studio ad cibum corporis adducerentur: & de principio quidem & illi quoque ieiunium ferebant inuiti, dum cogebãtur prius addiscere, quàm comedere: postea vero succrescente amore studij sui, non inuiti ieiunant, sed inuiti veniunt ad mensam sæpius vocati & expectati. talia & multo meliora & faciliore & breuiore tempore euenirent nobis, si quando hæc ipsa, quæ nobis necessaria sunt, & quæ nos decent, & ad quæ nos Deus noster vocat, pari aut non multum minori diligẽtia quæreremus, quàm ea, qua pecuniam, aut scientiam, aut voluptatem, aut honores quærimus. & tamen hæc peritura sunt, illa vero ęterna, & nos quidem ita insaniuimus, pueriq; facti sumus ad ea, quorum iam magistri propter tempus esse deberemus. quare opus est, vt prædicatores nostri, & patres, & prelati nostri nos cogant ad hæc meditanda, & suscipienda, vt sensim, aut repente amore eorum, quę debemus, capiamur, & non obstrepamus Ecclesię sanctis institutis: sed nos ipsos inertiæ & contumaciæ, & desertionis accusemus, Deũq; oremus, vt suscipiat causam nostram nosq; reddat tales, quales decet esse eos, quos ipse in filios adoptauit: vt carne mortificatos, spiritu uiuos efficiat in gloriã suã.

DE NVNCVPATIONE VOTORVM.

CAP. XXIIII.

TRACTANDVM interdum est de uotis, & ipsorum vtilitate, & damno: quia multi frequentes sunt in vouendo, non sic autem in reddendo. multi item plusquam opus, sit abhorrent à votis.

Docendũ est quibus in rebus vota laudabilia sint, & minus periculosa.

Ergo cui animus est recte viuere, vt certe omnibus esse debet, ea quæ recte viuendo facere vult, vtilius faciet, si ex voto faciat: nam quamuis ex voto obijciat se periculo perfidiæ, tamen quia auxilium sperare potest, nõ dici debet obijcere se periculo. nam cũ Psal. 57. dicitur, vouete & reddite Domino Deo, videtur certum auxilium Dei promittere ad reddendum quod vouimus. tantum enim non dicit, & Deus faciet vt reddatis, nam si hoc diceret, nemo nõ deberet vouere ea, quæ præcepta, aut in consilio sunt. nã quisq; certus esset se redditurum vota. quare quisq; vt certus salutis suæ esset, posset vouere se perseueranter Deo in omnibus, & per omnia seruiturum. veruntamen quia Deus non ita dicit, sed tantummodo consilium dat de vouendo, in vouenda perseuerantia non tam certi de salute sumus. veruntamen nobis

bis

bis maius quoddam auxilium ad perseuerandum pollicitum intelligere possumus. quare & Psal. 118. ait, Iuraui, & statui custodire omnia iudicia oris sui, neque ob id veritus est obijcere se periculo periurij: quandoquidem ex ea iuratione, quàm sciebat Deo placere, maius sibi auxilium à Domino conciliabat in iuramenti obseruatione.

Dices, in baptismo hoc votum omnes facimus, & quotiescunque ad gratiam reuertimur, nam propositum nobis esse debet nunquam peccare, & semper diuinæ iustitiæ seruire. Respondeo & votum ob propositum bonũ in baptismo, & in omnibus rebus magnum nobis conficit auxilium Dei, & in voto addit. nam forte in baptismo datur id tantum, quod antea non habebamus. nempe posse præcepta Dei seruare, quæ naturæ viribus non valebamus, bonis propositis paramus nobis maiorem facilitatem, voto etiam plura, ac maiora. non enim, si vt decet prudenter vouemus, nos vouemus fisi viribus nostris, sed multiplicibus auxilijs Dei, ac si præsentem Deum audiamus dicentem, Recte viuite, & nos ei respõdeamus, quandoquidem ita tibi Domine placet, vouemus tibi recte viuere: esto rex & custos & ductor noster. nã iusta exigis, in quo non solum possumus eum credere dicentem, Et ego non auferam à vobis potestatem, quàm vobis ad recte viuendum dedi, sed etiam addam, & facilitatem: quandoquidem vos non pœnitet suscepti super vos iugi mei, sed etiam libenter vouetis vos illud perpetuo subituros, & hoc quidem in vouendis

his, quæ præcepta ſunt, non videtur hábere dubium, ac neque in vouendis his, quæ nobis conſulta ſunt: at in vouendis his, quæ non nobis, ſed alijs ſunt conſulta, periculum eſt cuiusdam arrogantiæ, atque ideo votum Deo non placere. in his autem, quæ neq; præcepta, neque conſulta, neque prohibita ſunt, maior cautio eſt adhibenda. nam ſi quidem vtilia ſunt ad recte viuendum ſi propterea illa vouemus, poſſumus ſperare auxilium Dei, qui mandat nos bene viuere, quando ea, quæ in eam rem faciunt, & vtilia ſunt, vouemus. Cautius autem agere videntur, qui cum vouere velint, quæ præcepta, aut conſulta, aut certe non prohibita, ſed vtilia ſunt ad recte viuendum, religioſas congregationes ingrediuntur, in quibus ui get rectorũ cura, & ſtilus regulæ conſeruatur. nam præter auxilia Dei, etiam multas orationes frangendi voti declinant, tamen etiam abſque quòd loca illa ingrediantur. non enim omnes illuc vocamur, magis fidendum eſt curæ Dei, cui vouemus, quàm timendum nobis à noſtra fragilitate, & inconſtantia.

occaſiones

Dices. cur voues quod præceptum eſt, cum ſcias te ſæpe præcepta non ſeruaſſe? Reſpondeo, ad hoc voueo, vt in futurum ſim cautior, dices. at ſi cecideris, duplo peccabis. nam etiam fracti voti pœnas dabis. reſpondebo. iccirco voueo, vt metus ille me faciat cautiorem, aut ſi non facit, vt maiores ſubeam pœnas ab eo, qui caſtigat omnem filium quem recipit, & ita ſim in futurum cautior. dices, ergo tu pluris facere videris votum, & promiſſionem tuam, quàm præceptũ

Dei,

Dei, cum putes te ex tua promißione futurum cautiorem, quàm respectu præceptorum Dei. respondebo, id non consequi. nam & præceptum Dei est, vt reddatur quod vouemus. Sed etiam quòd id sequatur. tamen prudentiæ est videre ne pluris faciam promissionem meam, quàm præceptum Dei: & cum id videam, id etiam addam, vt seruem præceptum Dei. nam hoc est simile illi cautioni, quàm adhibemus in occasionibus peccandi declinandis, vt cum nos ipsos claudimus, cum declinamus loca tentationum, cum prædicationes audimus non pluris ea facimus, quàm præcepta Dei. sed quia præceptum Dei præponendũ videmus rebus omnibus, & nobis etiam ipsis. ideò cauemus nobis ab hoste qui habitat in carne nostra, eáq; catenis ac timoribus coërcemus, ne nos supplantet, aut seducat adiutoribus illis.

Dices, qua fronte poteris Deo dicere, voueo tibi Domine me facturum quod præcipis, cũ ipse tibi respondere possit, hoc non est tuæ potestatis, tu id mihi debes, voue quod non debes, vt videri poßis aliquid mihi promittere? respondeo ea fronte qua possum dicere placere mihi præcepta Dei, eiq; me summam habere gratiam quod dignatus sit mihi ea præcipere, ac me ea vouere, vt indicem illa mihi debere esse cordi, & esse talia, vt etiam quod præcepta non essent, vellim ea mihi præcipi, aut etiam quod non tam sapiens sim, tamen cum videam me esse ad ea obligatũ, velle voto etiam magis obligari: quo ab ipso Deo meo maius ad saluandum auxilium eliciam, vt supra dicebã. seruandum

Sed age veniamus ad particularia. debeo esse castus, siue in matrimonio, siue extra matrimonium sim: quãuis alia castitas est in matrimonio, alia extra matrimonium. si voueo quam debeo castitatem, periculum est, ne si eam lædam duplici culpa tenear, & præcepti, & uoti non seruati. si non voueo, & nõ seruo, præcepti tantum non seruati culpa fuerit, non etiam voti. consulis voueam, quia si non tantum ex præcepto, sed etiam ex voto seruo castitatem, maius erit meritum, et Deum mihi affuturum mihi promittis, quo facilius præceptum obseruem. ego vero conscius inconstantiæ meæ quamuis sciam Dei bonitatem non defuturam mihi volenti votum, & præceptum seruare, dicam nolle vouere. dices mihi plus fiduciæ esse debere in bonitate Dei, quàm timoris ab inconstantia mea. consentiam: neque propterea tamen vouere debitam voluero castitatem, ne, si quãdo desim auxilijs Dei, duplici tenear pœna. possum id quidem facere, tamen si spes est ex voto plus nobis auxilij diuini conciliari, bonum consilium est vouere. ac ne sit periculosum, aut saltem minus sit periculosum, experiendum est, et tentandum temporali voto quid assequamur. verbi gratia, voueo per totam hanc hebdomadam me continere, postea per aliam & aliam, forte id assequar: nonne tentem? nam necesse est, vt veniant scandala, id est imbres, & venti, & flumina, sed non ruit domus super petram ædificata. ita videbo quid mihi sit sperandum, & quid agendum, præsertim si cælebs sum an vouenda mihi sit perpe-

tua

tua continentia, an vxor ducenda, si scilicet facultas sit vxoris ducendæ. nam interdum id nō expedit, vel quia facultates non adsunt ad onera matrimonij ferenda, vel quia miles, mercator, aut aliud negocij mei eſt, quo non poßim cum vxore manere, aut eam mecum circunducere

Forte Satan temporalia vota ſinet eſſe quieta, vt animet ad perpetuum votum concipiendum, quo ſuſcepto mihi ſit moleſtus. faciet id quidē, ſi ſuæ ſit poteſtatis, ſed maior eſt qui eſt in nobis, quàm qui eſt in mundo. 1. Ioan. 4. Deus ergo ipſe tentabit nos, & præbebit lumen quo videamus abſq; deceptione quid agere debeamus. itaque fœliciter vota concipiemus auctore Deo. ſic qui annum probationis ingreßi religionem obſeruant, tuto vouent, non quòd futuri ſint aſque tentatione, ſed quia vincent tētationes. itaque prædicator recte, meo iudicio, faciet, ſi conſulat hęc temporalia vota fieri.

Dicunt aliqui, Deo non placere uota fieri, poſtquā miſit filium ſuum, qui pro lege gratiam ferret: quia Deus iam ſibi ſeruiri velit non ex lege, ſed ex charitate. votum autem legem adiuuat nō charitatē: atq; iccirco plus auxilij à Domino Deo, nobis ſperandum eſſe volentibus ei ſeruire ex charitate magis, quàm ex lege, nam vouenti dicere poteſt Deus. ego tibi non negabo auxilia, quę his, qui mihi ex lege ſeruiunt, impetrior, ſed non ea tibi dabo, quę illis cōcedo, qui mihi ex charitate ſecundū propoſitum meū ſeruire volūt, neq; aliud maius vinculū agnoſcunt q̄ charitatem.

Sed his responderi potest, nos his vinculis vti, vt supra dicebamus, tanquam his occasiones peccandi vitemus. nam etiam propter transgreßiones lex posita est, ad Gal. 3. quo fiat, vt in nobis charitas augeatur, quę ipsa nobis tantum sit lex & votum, & omnia. neque enim legem amamus, & vota nuncupamus tanquam sic declinare velimus charitatem, sed magis, vt per hæc impedimentum repellamus: nę pro illo charitas nobis auferatur, aut minor reddatur, ac propterea maxime in religionibus votum castitatis emittitur, vt amor in Deum tantum tendatur, & non diuidatur in vxorem & filios. Sic et votũ paupertatis, ne amor ad diuitias adiectus auferat de amore, qui Deo debetur. Similiter & votum obedientiæ, ne amor proprię voluntatis amorem, impediat voluntatis diuinæ, vbi autem diuinus amor auctus regnauerit, omnia libera sunt non quia contra legẽ, aut contra votum faciat nos facere, sed quia facit, ut faciamus non vt coacti, aut allecti, sed vt qui naturaliter agunt tanquam lex & votum non lex, sed natura quædam nobis sit. sic qui literas, aut artes discunt, postquàm habitum contraxerint, leges artis obseruant maxima libertate, etiam non cogitantes quid ars exigat.

Sed reuertor ad temporalia vota, quia ex his poterit initiari habitus illius virtutis, quam quærimus, ex quo fiet, vt gratia, & charitas augeatur, aut si aliquando refrixerit, aut amittatur, facilior sit nobis ad eam regressus.

Dices. absque nuncupatione voti ex frequenti bono etiam temporario proposito potest virtutis habitus initium capere: & verum dices: sed experientia disces nos bonum propositum multa facilitate leuiq; ex causa relinquere, vel ex toto in aliud tempus reijcientes, quod in voto non facimus, aut certe non nisi ex magna causa facimus.

In petenda quoque dispensatione, aut commutatione votorum dicendum, nos debere esse cautiores etiam quod vota repentino quodam timore, aut alias inconsideratè nuncupauerimus. nam si vtilia sunt illa ipsa vota, existimare poterimus nos in eum timorem, vel incogitantiam incidisse, auctore ipso Deo, qui nos ad vouendum inuitabat, idq; præsertim si alias nobis in mentem id venerat, vt putemus ad priores inspirationes addita esse calcaria, vel metu, vel incogitantia. id quoque experiuntur nonnulli, qui etiam post dispensationem, aut commutationem voti, in aliquod infortunium incidentes recordantur prioris voti, & non iustam causam sibi fuisse dispensationis aut commutationis expetendæ intelligunt. sic & qui in reddendis votis procrastinãt quicquid eis aduersi acciderit proprie tarditati possunt imputare.

Sed specialiter de voto castitatis dicendũ est, quod multi negant suscipiendum esse, sicut enim dicunt de re aliena votum faciendum non est, sic neque de castitate cum nostra non sit, sed proprie sit donum Dei. Sap. 8. itaque Dominus ait, Matth. 9. qui potest capere, capiat, quia nõ omnes capiunt verbũ hoc neque

fatis fit eis, si quis dicat, nos sub lege non esse, neque teneri ad matrimonium contrahendum: atque iccirco licere nobis cęlibes esse, & castitatem cælibem ex ipso Deo impetrare, qui cælibatum permittit. nam dicunt primo nō omnes hoc donum impetrant, quia scilicet non omnes in petendo ea diligētia vtuntur, quæ tantæ rei conueniat. præterea & qui impetrant non omnes donum ipsum conseruant parum in custodiendo cauti: præsertim cum dona Deus sic donet, vt non propterea quenquā immunem à tentatione esse concedat. præterea etiam quòd cum dono etiam immunitatem à tentatione concederet, sic interdum improbi sumus, vt nulla tentatione stimulati, nos ipsi quæramus abijcere castitatem. quare, inquiunt, periculosum est facere votum castitatis, cum de nostra diligentia incertissimi simus, etiam quòd multis diuinis auxilijs adiuuemur, auctis etiā ex ipso voto. Sed hoc argumentum si quid valet, valet in eo articulo, cum quis consultat nubat ne, an cælibem vitam perpetuo ducat. tunc enim potest à fragilitate sua subuereri, ne male sibi forte consulat si præcludat sibi remedium nuptiarum: quia melius sit nubere quàm vri. quare qui hoc verentur, & tamen cælibes esse volunt, religiosas congregationes ingrediuntur, antequàm tale emittant votum, quod illis congregationibus maiora sint quædam auxilia ad castitatem custodiendam.

At in eo, qui iam proposuit cælibem vitam agere, vel qui non potest nubere, is quandoquidem ex pręcepto castus esse debet toto tempore vitæ suæ, tutius

faciet

faciet, si voueat castitatem, quãdoquidẽ sic sibi maius auxilium Dei conciliat, quàm non vouens, & cautior fit, ne duplici pœna puniatur: & ita pro castitate orabit attentius, quàm faceret, si non vouisset.

Dicendum etiam interdum de religiosorum uotis, scilicet castitatis, paupertatis, & obediẽtiæ, & clausuræ cur fiant, supra dicebamus, id agi, ne coniugum filiorum, facultatum, propriæ voluntatis amor impediat, aut minuat amorem, quem Deo debemus, & id quidem verum & bonum est, ne sint diuisi, sed ex toto seruiant Deo. sed etiam id fit: vt simul esse poßint in quo magna est facultas ad recte viuendum, vt cũ in medio eorum Dominus sit. quare si cęlibes pauperes, obedientesq́; viuant, facile vnum erunt. neque enim eos amor coniugum, & filiorum, & rerum, & propriæ voluntatis discordes efficit.

At eis aliqui opponunt, quod sic separant semetipsos à communitate, ab oneribus publicis. sed hoc non est contra votum castitatis, sed contra omnem religionem. & respondendum est, id eos nõ propria temeritate facere, aut vlla contumacia, sed permissu superiorum, et totius boni populi. non enim separant se ad malum aliquorum, sed ad publicum bonum, nempe ad religionem, qua populus plus boni suscipit, quàm ex omnibus alijs suis, et aliorum laboribus. certe vbi religiosus ordo viget, omne bonum sperari potest: eorũq́; precibus, prędicationibus audiendis, confeßionibus, quid potest comparari? nam & qui cæteris operibus carent, ipsa prece vniuerso orbi, ne dum ciuita-

ti prodesse poteſt.quare his valde fauendum eſt,neq; à detractionibus, & perſequutionibus metuendum, quoniam his & ipſi religioſi humiliantur,& fiunt diligentiores,quod ſic cauſam habēt utilioris exercitij. nempe bonę patientiæ et charitatis in orando pro his ipſis,à quibus male audiunt,tanquam Deus eos excitauerit ad detrahendū ipſis religioſis, vt ab ipſiſmet religioſis adiuuentur. nam ſancti religioſi detractores ſuos tāquam valde benefactores agnoſcunt, quibus excitentur ad eorum ora obturanda, non aliter quàm benefactis. 1.Pet.2.

De clauſurę voto, quàm vtile ſit præſertim monialibus dicendum eſt, à quàm multis peccandi periculis abſint, & quàm multis bonis operibus vacare poſſint,amiſſa ſpe vagandi:ſed docēdi ſunt,ne admittāt viſitationes,& mundana colloquia, niſi vt corrigant,vt fleant,vt miſereantur, vt orent tanquā ex illis materiam orationes accipiant.

Sunt etiam ſępe cōſolatione proſequendæ illæ prę ſertim,quæ non deuotione, ſed quia nubere non valebant,vel aliter ſeductæ illuc deuenerunt,ut laudēt Deum,qui etiam inuitas in naxam ſuam incluſerit, orentq;, faciat,vt neceſſitatem in uirtutē conuertāt gratia ſua:vt agnoſcant quàm melius ſecum actum ſit,quàm cum multis alijs,& quàm ſecū ipſis, ſi alia eis ſors recidiſſet,neq; dicant ſe ſapiētes futuras,aut ſapientiores alijs, quæ in matrimonio,& alio in ſtatu minus prudentes ſint,& vaniores:nam bonarum in omni ſtatu mira paucitas eſt,vt bonū nobis, quod

humiliemur,

humiliemur, quòd claudamur, quòd etiam inuiti ad bonum cogamur, quòd melius sit etiam vi, & coactè bona facere, q̃ libēter mala. nam bene facta placere poßunt, & ex his consuetudinem fieri posse, bene ac libentissime tandem agendi. itaq; docendæ sunt, pœnitentiam agant, accusentq; se tanquam infideles, & bonum suum, & donum Dei non agnoscentes: cũ firmiter credere debeant Deum esse, qui regat omnia, & meliora unicuique prouidere, orentq; dari sibi intellectum, vt intelligant funes sibi cecidisse in præclaris, & ita hæreditas earũ ipsis sit præclara. Psal. 15. Et siquidem non voluntate Dei, sed ira Dei ob peccata ipsarum putant factũ, vt eo deducerentur, accusent, confiteantur peccatum suum, ueniã petant, dicantq;: cõuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, vt scilicet votum, quod te irato cõcepimus, te miserante seruemus in gloriam tuã et salutem animarum nostrarum, in qua glorificeris, atque lauderis.

Laudandum est etiam votum paupertatis, & docendum, qua de causa nuncupandum sit. nempe quia hæc propria vocatio est generis humani filiorũ Adã, qui eiectus è paradiso ad paupertatem damnatus est, vt in sudore suo pane vesceretur suo, atque ideo facilius pauper, quàm diues regnum Dei ingreditur, Matt. 19. Tum etiam quia & filius Dei hanc viam secutus est, vt dulce sit ipsum imitari, tum ne amor diuitiarum nos impediat à diuino amore, tum etiam, vt frequentiores causas habeamus recurrendi ad ip-

sum Deum ne diuitijs vnquam fiat, vt obliuiscamur Dei; tum etiam vt liberius inter homines conuersemur, & ne diuitiarum amor nos faciat minus aliorum amicos; tum etiam ne quis nobis inuideat, sed magis misereatur; tũ etiam, vt audeãt homines nos errantes redarguere, & nobis aliqua committere existimantes nos sibi esse inferiores, & indigentes auxilio suo; tum ne nos audeamus superbire, nec quemquam persequi, neq; vnquam maledicere; tum etiam cum volumus facta aliqua reprehendere, non cessemus tanquam aliquid ob id amittere valeamus; tũ etiã, vt benefacta ex animo laudemus nihil inde sperantes; tum etiam, vt molestia illa careamus, qua à pauperibus tam multa peti solent diuites, vt negare quodãmodo cogantur repugnante sæpe conscientia; tũ etiã vt pauperibus cõpatientes possimus absq; rubore eos consolari: vt à quibus non simus audituri vos abundantes tuto de paupertate verba facitis.

At melius est dare, quàm accipere, Act. 20. Vtique, sed qui id dixit pauper fuit indicans pauperes plura dare, quàm accipiant.

At sunt pauperes & ipsi impatientes. itaque & erumnæ huius seculi spinæ sunt non minus, quàm diuitiæ, Matt. 13. vtique non quærentibus regnum Dei & iustitiã. ideo Prou. 30. rogat, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.

At sunt pauperes, vel inertia, vel delicto, vel studio, vt liberius vagentur, & ab omnibus petant,

& nemo

& nemo rationem requirat vitæ ipsorum. sed talis paupertas reprehendenda est, neque qui tales sunt, votum paupertatis emittunt: neque si emitterent, placerent Deo, qui neque vellet tale votum seruari: quamquàm & horum improbitate Deus interdum utitur ad eliciędas eleemosynas ab his, qui sunt absq; misericordia, vt sic eos ad misericordiam impellat.

Itaque homines pij, ac religiosi votum non modo paupertatis, sed etiam mendicitatis emittunt. Vnde sunt mendicantium religiones, qui quodammodo cogunt populum ad eleemosynas faciendas: in quo multo plura dant, quàm accipiant. nam admonent amoris diuini, & faciendi nobis amicos, qui cum defecerimus recipiant nos in tabernacula æterna. itaq; formula petitionis eorum est, Date panem fratribus sancti. N. ob amorem Dei.

Illud item considerandum est, multos multa relinquere, & votum paupertatis emittere, sed quæ relinquunt, non dant pauperibus, neque Ecclesijs, aut pijs operibus, sed suis: quod & laudari potest, & reprehędi pro re & causa. Alij, quæ relinquunt, dãt pauperibus, & pijs locis, sed metus his est à superbia, & vanagloria, ne amittant mercedem suam. Alij nihil relinquunt, sed magis dicendi sunt paupertatę relinquere, quàm vouere, vt sunt pauperes & inertes quidam, qui nullo religionis respectu, sed tantum ne cogantur pro victu & vestitu laborare, religiosas domos ingrediuntur, & votum nuncupant paupertatis. horum forte maior est numerus, sed &

illi docendi sunt, accusent peccatum intentionis suæ, & gratias agant Deo, qui per eas necessitates ipsos in domos illas introduxerit, in quibus multis bonis operibus vacent.

Atque hic omnes admonendi sunt, ne commoda sua quærant, ne alijs meliora inuideant, sed vltro cedant alijs, vt quo plus possint, paupertatis incommoda sentiant.

Prædicantes aut admonentes re ipsa, quãtum fieri potest, ostendant, se non sua quærere, sed salutẽ aliorum, & non res aliorum quærere, vt etiam cum eos ad eleemosynas faciẽdas hortantur; sciant bono illorum fieri, vt illud secunda Cor. 12. non enim quęro quæ vestra sunt, sed vos, & modum eleemosynas eliciendi habemus, 2. Corin. 8. & 9. & etiam cum accipiunt, possint vere cum apostolo, ad Phil. 4. dicere, non quasi propter penuriam dico. ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare, vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat, & non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram, &c.

Votum autem paupertatis in religione ex eo quoque laudabile est, quod cum sapiens, Prou. 30. dixerit diuitias & mendicitatẽ ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria, indicat etiam sapientes diuitijs & mẽdicitate in periculo esse, necessarijs autem proficere, nempe quia ob sapientiam intelligunt

telligunt quæ victui eorum sint necessaria, hisque contenti sunt, ad Heb. 13.

Verum, quia pauci sunt sapientes, qui necessaria sibi agnoscant, & non superflua cupiant, cum putãt se necessaria tantum expetere, prudenter agunt, qui religiosas domos ingrediũtur vbi regula obseruatur, vbi pastor adest, qui necessaria vnicuique distribuit, ne quis innitens prudentie propriæ decipiatur, sed & ibi cautio est adhibenda, ne quis se ipsum decipiat, & plus petat, quàm ordinarie datur, veruntamen etiam minus petat memor paupertatis, & ne sensim ad superflua reuoluatur, suspectam habeat omnem cõmoditatem, sæpeque sibi dicat hoc non pauperum est,

De voto etiam obediẽtiæ dicendum interdum est, quàm vtile sit ad humilitatem exercendam, ad propriam voluntatem mortificandam, ad regendas passiones, ad consuetudinem rectam in via recta facien dam. valet item ad exercendam fidem eo, quod præcipiẽtem hominem tanquam Dei Vicarium contem plamur ita, vt non ad oculum seruiamus tanquam homini, sed tanquam Deo, à quo expectamus retributionem, Ezec. 10.

Sed aiunt periculose hoc votum emittitur, quia nimis ingeniosi ad voluntatem nostram faciendam sumus. quare non modo cum sine voto proponimus obedire, sed etiam cum votum obedientiæ nos emisisse recordamur, tamen iussi multas excusationes commentamur, ne quod præcipitur, faciamus ita, vt

λ ægre etiam cum nobis ea præcipiuntur, quæ nostra sponte facturi fueramus, iam facere nolimus, aut faciamus eo, quod nobis ab alijs præcepta sint: quamuis tunc libentius facere deberemus, vt præcipiens partem nobiscum in bonis operibus nostris haberet, nosq; suis orationibus apud Deũ iuuaret. Vnde fit, vt cum aliquid prælatus præcipit, vix vnquam celeriter pareamus, libertatis amãtes, & obliti voti nostri, nisi cum quid consuetum præcipitur. quo casu parua merces debetur: quoniam è consuetudine magis, quàm ex voto facimus, quæ nobis mandantur.

Et hæc euenire solent non solum his, qui aliud quàm religionem secuti, hoc votum emiserunt, sed interdũ etiam his, qui pro domandis passionibus hoc votum emiserunt.

Sed hæc non est ratio periculi. nam in omnibus operibus bonis tentationem sumus habituri, & ob id ipsum vouemus, quia id scimus paratũ certamen, vt sic per gratiam Dei frequentius pugnantes & voti respectu vincere annitentes consuetudinem contrahã[mus] libentissime, promptissime, & facillime obediendi: neque parua merces est à consuetudine bona, sed maior eo, quòd eam multis bonis actibus comparauerimus. hæc autem consuetudo non refugienda, sed amanda & conseruanda est, vt ab hac parte minus tentationes sentientes liberiores simus ad reliquum Dei cultum peragendum. valet item hæc ipsa consuetudo, etiam, quod gratiã & iustitiam Dei peccantes amiserimus, quia per eam facilius ad

gratiam

contrahamus

gratiam & iustitiam reuertemur.

Dicunt ex hoc obedientiæ voto sæpe impediri, & interrumpi bene cœpta, vel contemplationis, vel alterius boni operis.

Sed hæc præsciebamus futura, quando vouimus, idq́; volebamus, vt disceremus nos ipsos contemnere, nostraq́; cœpta pro nihilo ducere. nam si non nostra, sed Dei sunt, quę Deus ipse perfici velit, ipse curabit, ne interturbentur. nos interim discimus nostra non amare.

Dicunt, efficiuntur hoc voto inertes homines, dum iussum expectant, aut iussi nihil cogitantes, an melius quid agi valeat.

Immo vero fidem suā firmant, neque innituntur prudentiæ propriæ. nam non deest in alijs occasio cogitandi, quid qua ratione fiat. præterea & iussa ipsa post obedientiam examinari possunt, & videri eorū rationes & causæ, & quàm nobis opus fuerit, vt quædam etiam in speciem absurda nobis præciperentur ad retundendam superbiam nostram, & præsumptam sapientiam. nā putare debemus id Deum permittere ad nos humiliandos.

Sed aiunt, interdum etiam impia præcipiuntur, quæ simpliciores obseruant, vt ille, qui filiū in flammam ardentem propter obedientiam iniecit.

At non est hic metus, nam in voto semper superioris auctoritas excepta intelligitur. itaque votum non est factum obedientiæ in his, quæ Deus vetat, & ille, qui in furnum filium iecit, vouerat sanctitatem

prælati. quare Deum præcipientem per ipsum agnouit fidens, vel filio nihil euenturum mali, vel vt Abraham, qui credidit resuscitandum, ad Heb. 11.

iustum

At sunt aliqui ita simplices, vt iussum putent, quod iniustum est, & accedente prælati iussione nihil verentur facere, quæ iubentur.

Est id quidem, sed Deus non sinet hos decipi. nā si Deus permitteret etiā prælatos decipi, interdū iuberēt iniusta, putātes esse iusta. nō ergo verisimile est, Deū permittere, vouentem, & præcipientem decipi.

Dicent, Deus ob hominum peccata sinit & Prophetam, & prælatū, & obedientē decipi. Ezec. 12. 3. Reg. 22. in Acab, et vertit etiā in stultitiam etiā sapiētes, Iob. 12. & dat regē in furore suo. Oseæ. 13.

Sed hoc non est tantum in his, qui vouerint, sed in omnibus, quamuis propter votum, quod emissum est, vt Deo facilius seruiatur, verisimile sit Deum curaturū, ne qui vouerit, decipiatur: aut si hoc permittit, facit culpa nostra, qui aliter peccauimus, indignosq; nos reddidimus, quos specialius regat. votū ergo valere potest ad euitandum hoc malum magis quàm ad incurrendum in ipsum.

FINIS.